

F W B

A N N O

1 6 6 0

100/10

214 Nr. 3 95.

Crocina

nebst Manden Pfeifen

1700-2-20/23) der Weiblich.

der Landgrafen Erbschaft für Hessen-Cassel
3. Cass. Kinder Erb.

L. IV. 44.

13
APPENDIX
Actorum Rheinfelfanorum,
ut & Antivaleriani,

ID EST

CONFUTATIO
OFFUCIARUM ILLARUM, QUAS
Valerianus Magnus, paucissimis qui-
busdam illorum Scriptorum assertio-
nibus, in Actionibus noviter emis-
sis, ineptè admodum oppo-
nere voluit,

A D O R N A T A

à

PETRO HABERKORNIO, S. THEOL. D.
Professore, Pastore & Superintendente
Gissensi.



G I E S S Æ

Excudebat JOSEPHUS DIETERICUS HAMPELIUS,
Acad. Typog. Ann. Christi 1652.

APPENDIX

Actorum Rheinischlandorum

1788 & Anniversarii

AD 1788

CONFUTATIO

OFFICIALIUM ILLARUM QUAS

Valentini Magni, Patris eius qui

burgum illorum deperitum auctio-

ribus in Actibus noviter emi-

ss, inquit admodum oppo-


tere voluit

ADORNATA

PETRO HABERKORNIO, S. THEOL. D.

Professore, Pastore & Superintendentente

Gülden



1788

Amstelredamum, Typographi DITTERICI, J. & C.

Act. Typog. Ann. 1788, p. 102





I

CONFUTATIO ACTIONIS OCTAVÆ,
à Valeriano noviter emissa.

TRANSMISIT mihi Valerianus M. Herbipoli degens, suam suorumq; Actionem octavam, quam nostræ Acti-
oni septimæ prout ea in Actis nostris Rheinfelsanis di-
vulgata, proximè præteritis nundinis vernalibus, in lu-
cem prodiit, opponere voluit; Ea; typis excusa, ad me
d. 3. Julii Anni hujus 1652. pervenit. Quamvis autem
in illâ ille pro more suo rem ipsam non attingat, sed ad aliena tantum
evagetur, ut Actio illa nova collata cum Actionibus nostris sponte suâ
concidat: Ne tamen cristas, quæ per scripta nostra publica, in eo de-
pressæ & coercitæ fuerunt, denuò erigere incipiat, strictim illam
confutavimus.

In Frontispicio *magnificis* titulis me exornat. Quibus ille super-
sedere debuerat, utpote, qui *mibi ex parte non conveniunt*, neque ipsi,
mecum certanti ex illis, verum ex veritatis defensione solidâ, in quâ ta-
men se hætenus ridiculum præbuit, neque etiam in posterum accura-
tior tractatio ab eo expectari potest, *laus ulla accedat*.

Pag. 1. Me vocat *abiturientem Rheinfelsâ*. Sed causarum illarum,
ob quas necesse habuimus tandem Rheinfelsâ abire, originem, mo-
dum, circumstantias, testes, &c, in Relatione nostrâ p. 9. 10. 71. 72. 76.
83. 84. expressimus. Scilicet quia Principe referente nobis, Capuccini
colloquium nullum admittere volebant: Comperiebamus, rem totam
spectare non in informationem, sed captionem: Papismum jamdum,
ut nos veritatem hætenus vindicaverimus, animo esse conclusum:
Valeriano ita os erat occlusum, ut quia nobis respondere non amplius
poterat, ad calumnias pro more delaberetur: Colloquium Academi-
cum, ei delatum, recusabat: Princeps itineri nostro tempus certum
destinaverat: Valerianus in ultimâ collatione ad silentium toties quo-

B

ries



2
ties redactus fuerat. Hisce ergo peractis & rebus ita se habentibus, merito discessum instituimus. Hæc omnia ille sicco quasi pede præterit.

Ibid. Viderur indignari, quod mea contra ipsum emissa scripta, multa sint, & aliquot centurias questionum contineant, & tamen ego ipsum per Christum penè adjurem, ut aut ille pessimum suum Tractatum deleat, aut mihi ad singula sine saltu respondeat. Aliàs enim totam Ecclesiam mecum, judicatum ire, quod ipse in h. causâ planè succubuerit. Ac p. 2. recusat, confutare illa mea Scripta, ob nimium laborem, fastidium legendi prolixiora, &c. & quia non vacet & lubeat. Adeò ut p. 3. omne, quod extra Disputationem in Actionibus sc. hætenus habitis, ego dixerim aut dicturus sim, ille inter latebras & diverticula numeret.

Sed profectò Valeriane, si tibi nomen, quod Christum ames, & quod veritatis, quam jactas, defensor sis strenuus & acerrimus, comparare voluisses, obtestationibus illis meis, ponderis aliquid apud te relinquere debuisses. Cum Amor erga Christum, & officium nostrum, veritatis defensionem à nobis requirat, 1. Pet. 3. v. 15. Matth. 26. v. 63. 64. Sir. 4. v. 33. Provoco ergo te constanter, ut mihi ad singula, quibus tuos tractatus confutavi, respondeas. Quod si refragari perrexeris, quilibet cordati in Ecclesiâ Christi, te aut desidem in officio, aut impotentem, qui respondeas, merito censebunt. Neque causam ullam hujusmodi tergiversationis legitimam prætexere potes. Siquidem defensio veritatis multò majori in pretio apud nos esse debet, quàm ut ab illâ nos sive per laboris fugam, sive per fastidium, sive per otii amorem, sive per aliud quid, absterreri sinamus. Cumq; in illis meis libris & falsas illas notas interlineares, quibus Actis nostris Rheinfellanis maculam inurere studuisti, & pessima illa dogmata, quibus toti orbi fucum facere voluisti, profligaverim, omninò judicii minùs sobrii est, illam meam refutationem inter latebras & diverticula numerare, eò quod non vacet aut lubeat illam aggredi. Tu verò ab omnibus prudentibus viris tectissime judicaberis latebras & diverticula hoc ipso quærere, quod responsionem ad singula declinas.

P. 1. & 2. Adhortatur me ad breves & concisas Actiones singulis septimanis

primanis transmittendas, quas Illustrissimo & Celsissimo Principi ac Domino, Dn. ERNESTO promiserim; Ac proinde illas tantum, utpote breves & concisas, vult redintegrare, & continuare.

Quamvis autem res non amplius in eo sit statu, quo tum verlabatur, cum Actionum illarum continuationem in nos suscepimus; Nam tu ipse, cum iniquâ accusatione nostri, illas Actiones jamdum abruptisti, ut ex Actis nostris Rheinfelsanis patet p. 46. Princeps etiam publicè nunc nomen suum Papatui addixit; Quin & ego interea omnes Valeriani nœnias, quibus orbem dementare & quasi fascinare voluit, in publicis illis meis Scriptis, contra ipsum elaboratis & editis proculcavi, quibus ille nunc tergum obvertit; Denique ex eo principio ille nunc Actiones istas resuscitat, ac si nos in illis à nobis scriptis Actionibus, thesin nostram capitalem, à questione postulatam, haud posuerimus, nunc verò in editis Scriptis ipsi ad placitum ejus respondisse videamur, quo ipso ille nos per continuationem Actionum illarum, tacitè & subdolè ad confessionem, quòd thesis à nobis incongruè posita sit, vult inducere, id quod tamen nullâ veritate ille de nobis edicere, nedum probare poterit, nosq; constantissimè inficias imus: Nihilominus promissis eâ ratione fideliter stabo, ut quascunque Actiones contra mea illa Scripta in lucem ille emissurus est, ego illas *ἐὸν θεῶν*, statim confutare, ipsumq; pressè insequi, & nequaquam desistere velim, usque dum errores ejus omnes detexerim & dissipaverim. Neque ille necesse habet, me ad hoc seriò & per Christum adhortari. Non enim ego Actionum ipsius confutationem fugiam, sicut ille, non obstante illâ gravissimâ meâ adhortatione, meorum scriptorum refutationem à se removet. Ultrò ego ad ipsum refellendum accurram; Neque illi, si me dehortari vellet, parerem.

Pag. 2. Nos noluisse ponere thesin nostram, ad questionem quartam, quid id sit, unde quilibet & qualibet sibi ab erroribus Ecclesie cavere possint, &c. Id quod denuò repetit, p. 4. ad nauseam usque.

At verò cùm ille Acta nostra Rheinfelsana & viderit & pervolverit, in quibus hanc accusationem perversam, iterum atque iterum p. 16.

17.33 3438.44. & sic, ut verbis ejus utar, *semel, bis, ter, quater, quinque-*
es, sexies; solidè profligaverimus, invictè demonstrantes, nos thesin no-
 stram, quæstioni propositæ convenienter posuisse, & nullam planè cau-
 sam Capuccinos habere, nos eo nomine reprehendendi, 1. Quia, *quid*
sit, unde &c, quærebat; Atque sic mediū illius quidditatem, *quid id sit,*
 nominare necesse habebamus, sc. S. Scripturam. Non verò quæreba-
 tur de modo, quo quilibet & qualibet sibi per medium illud, S. Scriptu-
 ram, ab erroribus cavere, idq; commodè usurpare possit. Quòd si,
 quæstione de *τῶ* *Quid instituta,* nos de *Modo* respondissemus, tum id fu-
 isset de cepis quærere, de aliis verò respondere. 2. Quia ipse *Nature*
ordo efflagitat, ut prius de rei quidditate, certa sententia constituatur,
 postea verò de usurpationis modo, ceu consecratio quodam ex priori,
 disseratur. 3. Quia prima controversia nobis cum Papistis intercedit
de Normâ & iudice controversiarum, quam nos dicimus esse S. Scriptu-
 ram solam. 4. Quia ipsi Capuccini *quidditatem* mediū sui exprimunt
 & nominant, sc. infallibilem Autoritatem Pontificis Rom. in respon-
 sione suâ ad quæstionem 4. Hic nil audis de *usurpationis modo & metho-*
do. At constat vulgo etiam, quod Pontificis est Pontifex Rom. quòd
 id nobis sit S. Scriptura è contrario. 5. Quòd si ergò nos incongruè
 respondissemus, tum profectò ipsimet Capuccini inconvenienter re-
 spondissent, non ostendentes *modum, quo quilibet & qualibet* illâ infal-
 libili autoritate tutò uti possit, non obstante, quòd argumenta, testimo-
 nia & asserta, Christianæ religionis, Decretorum Concilii, Pastorum
 particularium, Miraculorum, &c, sint fallibilia, probabilia, humana, per
 quæ tamen unice eis infallibilis illa Autoritas innotescit. 6. Quia ipsi-
 met illam thesin nostram acceptarunt, & nequaquam ceu incongruam
 rejecerunt. Hæc omnia in Relatione nostrâ. Ipse tamen Valerianus
 ad ista ne hincit quidem, neque respondere ullo spiritu audet. Verùm
 ipsi semper contentionis & disputationis serrâ, per unam eandemq; lineâ
 reciprocare lubet, id quod non est Disputatoris accurati, qualis audire
 cupit. Ille opponit, sed si velsescenties ego respondero, is, tamen re-
 sponsa mea ne semel quidem aggreditentat, sed priora semper repetit.

Et ne

Et ne nihil egisse videatur omnisq; autoritatis jacturam apud suos patiat, ingenti ausu, novas Actiones cudere præsumit. Quæ quàm præpostera sit ratio agendi, prudentes facillè advertunt & detestantur. Neque aliud exinde concludere possunt, quàm Valerianum adhuc dum ne verbo quidem ad nostra respondere valere.

Aperiemus ergò primum hujus accusationis Valerianicæ fontem. Scilicet, constituerat ille secum, Rheinfelsæ disputare, non nisi de quæstione, *quomodo quilibet & qualibet sibi ab erroribus, per S. Scripturam cavere possit*, utpote cui omnes ingenii sui nervos per potiorem vitæ decursum se impendisse jactat. Cum verò quæstio de *quæ* *Quid id sit*, non verò de *quomodo*, citra dubium ex proprio ipsius errore formata fuerit, atque ita nos necesse habuerimus, licet præter omnem ipsius spem, *quidditatem* mediæ nostræ, S. Scripturæ scilicet, apertè nominare & probare. Ecce quæstioni & thesi illi nostræ discutiendæ, ille sese planè imparem & imperitum persensit. Ac proinde nobis nihil ad nostra argumenta respondit, prout ille hoc infra p. 4. & 6. pleno ore ultro fatetur. Ad eum modum, quo pueri, quando ad illa, quæ non didicerunt, & quorum scientiâ nõ pollent, respondere tenentur, penitus silent, cæteroquin se nimium vocales præbentes in iis, quæ se callere sibi persuasum habent. Hinc Valerianus adeò in nos detonat, quòd thesin à se præconceptam non posuerimus. Hæc est unica & vera causa accusationis ejus injustæ. Unde & ipsos Papistas Valeriani Theologiæ, non multum, aut nihil tribuere, audio.

Ibid. Se, postquam meam sententiam in AntiValeriano publicaverim, filum inchoatæ disputationis prosequi, eamq; in IX. Actione exprimere velle. Quod repetit p. 9.

Sed in ipsâ Actione nostrâ primâ, ad quæsitum secundum, eandem nostram sententiam, de modo applicandi in casibus particularibus S. Scripturam, ceu medium unicum & infallibile, errores quoscunque effugiendi, exertis verbis posueramus, p. 15. Potuisset ergò & debuisset Valerianus ab illo usque tempore Disputationis hujus telam pertere, citra abruptiois interventum. Non difficile autem est con-

B 3

jectu,

jectu, cur Valeriano abruptas semel actiones denuo exordiri placeat. Scilicet puduit illum ipsum, & aliæ Papistæ procul dubio ipsi exprobrarunt, quod jactatam Pontificis Romani infallibilitatē tam turpiter protulerit: Ideò dedecus illud jam vult eluere, & novis argumentis illud, quod omisit hactenus, complere, ac *autoritatem Romani Pontificis confirmatum ire*, prout idem loquitur, p. 9. Ut ut autem sit, nos arietem illum, quo veritatem nostram invictam vult expugnare, imperterriti expectamus, fortiter illum labefactaturi & repressuri.

Ibid. *Se parcere iis, quæ minùs verè & sobriè in Relatione nostrâ Rheinfelsanâ dicam, provocare se Lectorem ad Acta à se publicata latinè. Et p. 9. scribit, innumera esse in AntiValeriano & Relatione nostrâ, quæ sibi & omni viro prudenti displiceant.*

At cur parcis, si quæ sunt, quæ tu falsitatis convincere potes? Hic profectò non fuisset parcendum. Desidia enim est inexcusabilis, parcere Antagonistæ refellendo, & sic officio suo adimplendo deesse & sic parcere. Indulgentia illa ex quâ tu meis scriptis vis parcere, *inobediens & desidiosa indulgentia* vocanda esset, si veritas à tuis partibus staret, & si tu illam vindicare posses. Quòd si ergò culpæ hujus vis esse immunis, necessariò alterum illud extremum in te devolvetur, sc. quòd veritas in nostris Actis Rheinfelsanis adeò fuerit asserta & confirmata, tuæ verò *φλυαρίαι*, ita disjectæ, ut tu contra illa, quæ nos protulimus, insurgere non valueris. Sed provocas Lectorem ad tua latinè publicata Acta. At ad quæ? Confutata illa à nobis in solidum. A quâ solidâ confutatione tu tua Acta ne asserere quidem audes; Et tamen Lectorem ad illa, ita disjecta & variarum apertarum falsitatum & detorsionum convicta à te nequaquam vindicata, remittis. Equidem Acta illa nostra, ut & AntiValerianum, ad tuum, ut & aliorum, qui suâ prudentiâ Papatum sapiunt, palatum non esse, facile largimur. At tuum erat, innumera illa, quæ displicent, & indicare & confutare. Sed neutrum præstas, tantùm verba sesquipedalia facis, vas vitreum lambis, pulcem non attingis, sed ne audes quidem attingere. Cum ejusmodi Disputatore mihi res est, qui exteriora semper allatrat, rem ipsam non mordens.

Ibid.

Ibid. *Præcipua ejus argumenta, in AntiValeriano, me non solvisse, ut ipse, si vacaret & luberet, AntiValerianum in ProValerianum convertere quiret.*

Cedó autem unicum argumentum, in quo cardo rei vertatur, quod ego præterierim & non confutárim. Si potes AntiValerianum in ProValerianum immutare, maximè tua ignava voluntas reprehendenda venit. Certamen enim est non de lanâ caprinâ, verùm de Doctrinæ divinæ puritate, ad quam conservandam, omne otium remove-re, omne veró studium è contrario adhibere debemus. Sed hic est tuus disputandi mos, ut pomposa jactes verba, re ipsâ minus nihilo præstes. Doleo, me hîc tantùm in generalibus cogi hæerere, & non posse argumentum aliquod speciale tractare, in quo nervus rei consistit. Sed exclamas, *facecant* (per c) *ejusmodi*. Faceillant autem tuæ non respon-siones solidæ.

Pag. 3. demum vult rem aggredi & probare, quód *nos fugerimus positionem nostræ doctrinæ*. Quam iniquam accusationem nobis à Va-leriano intentatam in Actione ipsius septimâ, nos in Actione nostrâ se-ptimâ enervavimus. Attendamus, quomodo illud assertum eat:

Pag. 3. & 4. Dicit, *Capuccinos se methodo Disputationis accommo-dasse*; Quoad probationem thesium suarum, in Actione secundâ, se sup-posuisse, illas esse à Rom. Pontifice sancitas & promulgatas, si ejus infallibi-litas sit sufficienter demonstrata; Hanc autem se comprobasse autoritate Concilii Florentini, &c. Nos verò quoad 4. questionem non sententiam nostram posuisse, quæ postulabatur: *Quid id sit, unde &c.*, sed aliam sub-ornasse thesin, de S. Scripturâ quòd sit norma unica. Sed nec toties postula-tos voluisse pronunciare illam. Hinc se respondere noluisse nostris argumen-tis contra suam thesin, neque contradicere nostræ thesi de *Judice controver-siarum & normâ Judicis*.

Quoniam veró totam thesium & probationum vestrarum mo-lem, ab infallibilitate Pontificis Rom. suspenditis, ideó adhuc dum cla-rè pronunciamus, vos minus nihilo in Actionibus vestris præstitisse. Nam illam ad cò non probare potuistis, ut non sine prostitutione vestri
ad Con-



ad Concilium Florentinum statim confugeritis, sed nec ex illo stabili-
 veritis, imò ipsimet facti fueritis, vos nullo argumento Catholico (quod
 tamen solum vobis est indubium & apodicticum) nec ex s. textu, neq;
 ex decreto aliquo Ecclesiastico, desumpto illam Pontificis Rom. infalli-
 bilitatem, unicum & ultimum vestræ certitudinis principium, probare
 posse. Argumentum autem Theologicum sine Catholico, apud vos
 est dubiæ fidei, nec certò sequendum. Sed nec nunc ad illa, vel uno
 verbulo quidem respondes, quibus effugium tuum de probatione im-
 mediata & mediata, in Actionibus nostris p. 29. 35. 41. 42. occlusimus.
 Expendat ergò Christianus orbis, à quàm nullo principio Valerianus
 suum Papatum velit suspensum esse. Et quod in eo vitium, maximè pu-
 dendum est, conscribit Actionem octavam, ac si in illâ nostra argumen-
 ta refellat. Sed ne semel quidem illorum meminit, nedum illa confutat.

Porro, nos verè sententiam nostram, prout quæstio illam exige-
 bat, posuisse, in Actionibus nostris immotè demonstravimus. Ad quæ
 Valerianus ita obmutuit, ut alto illa silentio involvat, & ne refellere qui-
 dem conetur. Deprehendit ergò Lector manifestissimè, Valerianum
 ita convictum & constrictum teneri, ut ad illa, quæ ei solidè opposita
 sunt, cum rubore planè conticere cogatur.

Et ut benevolus Lector adhuc unum specimen injustæ accusatio-
 nis, in Valeriano obmutescente habeat, produco hoc, quòd *ille me in
 Colloquio Actis incusaverit, ac si thesin, quæ postularetur, non posuerim,*
p. 55. 56. At adduxi in conspectum eius p. 59. verba Notarii, ex ipsiusmet
 Valeriani Actis p. 55. quibus refert, Principem postulasse, ut *hanc unicam
 quæstionem cum Valeriano discutiendam assumamus: An vimirum Scri-
 ptura sacra sit unica & infallibilis Norma fidei?* Quid ad hæc Valerianus
 in hac suâ Actione octavâ? Nihil planè respondet: Dicit enim tantum:
*Se simili indulgentiâ parcere iis, quæ minus verè & sobriè in Relatione no-
 strâ dixerim.* Sed quæso Valeriane, si potes, cur non respondes? Veri-
 tatem tibi monstratam negare non potes; Errorem tuum fateri erube-
 scis; Hinc ejusmodi ambagibus uteris.

Atque hinc patet, causam illam vanam esse, ex quâ dicit ille, quòd
nec no-

nec nostris argumentis respondere, nec thesi nostra contradicere voluerit. Sed consideramus hanc Valeriani excusationē pressius. Nam hoc ipso ultrò fatetur, se nō *satisfecisse*, nostris argumentis & illis non respondisse, quæ opposuimus thesi ipsius de Pontificis Rom. infallibilitate. Verè ergò in Actione nostrâ septimâ Capuccinos, quòd ad tam multa nostra nil responsi dederint, accusavimus. Quam veritatē illi adeò negare non potuerūt, ut victi illā sponte concedāt, & sic propriā turpitudinē allegēt.

Posito autem, non tamen concessio, nos convenientem thesin non posuisse, num propterea prætextus silentii ipsorum justus est? Minimè. Nam cum impugnaverimus solidis argumentis eorum thesin de Rom. Pontifice, omnino decuisset illos ad illa nostra argumenta respondere. Non enim sequitur: Adversarius non congruè posuit aliquam thesin, E. mihi non incumbit, meam thesin ab insultibus ejus contrariis asserere. Manifestum enim est, nos multa eaq; solida argumenta, eorum thesi & rationibus opposuisse, ex Relat. p. 48. 49.

Sed & hoc falsum est, quòd illi Capuccini, *non respondere illis nostris argumentis* voluerint. Respondere enim multis, sed ineptis, saltem conatiferunt, *compescere enim volunt nostrum triumphum; Ne halucinemur hac in re, distinguunt, & pensandum esse suum argumentum Theologicum, ex pondere definitionis Concilii Florentini; Et postulant à nobis, quænam Concilia nobis sint principia, quibus nos impugnare voluerunt, in Actione suâ 4. & 5. Vide Relat. pag. 29. seq. p. 35. seq. lit. F. Annon hoc est, respondere velle? Omnino. Et tamen per fortissimam contradictionem h. l. dicunt, se constituisse, nobis non respondere: Judicet orbis. Sic nostram thesin de S. Scripturâ quod concernit, quoniam illa toti Papatui adversatur, vide Relat. in Act. nostrâ 4. p. 32. seq. lit. f. si Valerianus illi *non contradicere*, secum constituit, multò minus eam *concedere* debuisset. Ita enim se turpissimè iterum prostituit; Adeò ut ipsemet in Colloquio postea p. 56. falsus fuerit, illam ob duas conditiones in eâ expressas, dum scil. S. Scriptura dicitur *Norma 1. unica, 2. clarissima, Papatui contrariari*. Jam verò nos in Act. nostrâ 1. p. 16. & 2. p. 24.*

C

25. aper-

25. apertè ponimus in nostrâ thesi, quòd S. Scriptura sit Norma illa Ecclesiae, *sola, unica, & Lux*. Apertè ergò Valerianus sibi iterum contradicit. Primò dicit, se illam nostram thesin concedere. Deinde idem negat.

Sic ipsemet Valerianus in hâc Actione suâ octavâ p. 4. scribit, *nos ponendo thesin nostram 1. 2. & 3. satisfacisse questionibus à Celsissimo Principe motis*. Rectè ergò illas theses ipsomet iudice posuimus, vide Relat. in Act. nostrâ 2. p. 23. seq. & Actione nostrâ 4. p. 32. seq. At verò apertissimè illis ipsis, Papatui contradiximus, ut non tantùm ex re ipsâ, sed etiam ex Valeriani confessione modò productâ probatum fuit. Nec tamen ille nobis ad probationes thesium duarum priorum quicquam respondit. Ut in Actione nostrâ 7. p. 52. ad oculum monstravimus. Et ipse in Act. suâ octavâ p. 7. id aperto ore concedit. Causa ergò silentii illius adæquata & vera non potest esse illa falsa Valeriani de thesi nostrâ 4. non congruè positâ persuasio, verùm Valeriani illa impotentia, quâ non potuit dictis S. Scripturæ clarissimis satisfacere, nec ad nostra solida argumenta respondere. Hic Rhodus, hic salta.

Ad hæc diximus in Actionibus nostris p. 42. *Ineptum & impium simul esse, suum officium non prestare, eò quòd alii id, quod eis incumbat, non prestent*. Quid, ad illa Valerianus? Obmutuit in Actione suâ octavâ.

Deinde in Actione nostrâ septimâ postea secutâ, ei ostenderamus, quòd plus tricies nobis nihil responderit. At ne ad hæc quidem nunc in Actione suâ novâ, respondere vult, verùm subindicare videtur p. 9. quòd responsum impofterum dare velit. Quando verò & num illa subsequutura sit, experiemur.

Quid quòd hætenus semper præ se tulerunt, ac si nostram thesin & argumenta concedant, p. 23. 26. &c. Id quod adhuc in hâc suâ Actione novâ p. 7. concedere videri volunt. Quòd si ergò contradicendo illis impofterum respondere voluerint, ut subindicant p. 9. Tum sibi ipsis contradicent, impugnando scilicet, quod se antea dixerant concedere. Hæc est illa supina horum hominum incogitantia, & vertigo pudenda.

Conclu-

Concludit tandem Valerianus, *hinc factum esse, quod nos dixerint fugaces à positione doctrinae nostrae.* Verum non est quaestio, *an nos ex illis vestris imaginationibus fuga accusaveritis?* De hoc enim constat, ac proinde non debuissetis cramben illam fatidam tanto apparatu denuo apponere. Verum in eo nunc quaestio versatur, *an nos ex illis vestris presumptionibus rectè & legitime fuga accusaveritis?* Hoc nos in Relatione nostrâ, ceu falsum solidè eviceramus, locis superiùs allegatis. Id quod Valerianum oportuisset hîc confutare, si veri Disputatoris vicem subire voluisset. Quoniam verò id non praestat, ideò eum Elenchum committere dicimus, quem pueri in scholis, petitionem principii, vocant.

Pag. 5. vult probare, quod fugerimus à *confutatione ipsorum doctrinae.* Ubi ait: *Se in animadversione suâ interlineari laudasse, quod secundum regulam proba disputationis, auctoritatem Concilii Florentini negaverimus, ex quo ipsi Primatum Pontificis Rom. confirmârint; Excursum ad miracula non fuisse ad rem, non enim se precise primatum Pontificis Rom. à miraculis confirmasse, sed per occasionem de illis dixisse, &c, quod nemo non impius negaverit; Nos non confutasse, quod Papa sit infallibilis, dicere enim invictè alibi probatum fuisse, Pontificem esse fallibilem, & extare exempla errorum ejusmodi, non esse confutare, sed duntaxat asserere, id esse confutatum ab aliis; Nostrum esse, nominare Pontificem, errorem, testes, contestes; Id quod etiam monitos nos ab ipsis in fine 5. Actionis, non tamen effecisse.* Hæc ille.

Hîc verò primò Valerianus se denuò apertæ contradictionis nexibus implicat. Dixerat modò p. 4. quod *Capuccini constituerint, non respondere argumentis nostris contra thesin ipsorum.* Ex quo, nos argumenta contra ipsos protulisse, immotè consequitur. Hîc verò p. 5. asserit, *nos à confutatione doctrinae ipsorum fuisse fugaces.* Quæ quomodo conciliare velit, ipse viderit. Quò magis Valerianus se extricare laborat, eò magis se coram Ecclesiâ Christi intricat, & ridiculum Disputatorem præbet. Porro, negavimus omnino, & adhuc negamus Auctoritatem Concilii Florentini, & quod illud in fastigium principii Theolo-



gici evahi queat & debeat, ut &, quod illud Pontificis Rom. infallibilitatem asserat, aut ex eo confirmari possit. Hanc nostram apertam *negationem*, imò contrariam *demonstrationem & confutationem* ex aliorum Papistarum, ex ipso Bellarmino adductorum assertione, quod Pontifex Rom. etiam ut Pontifex errare possit & sæpius actu errarit, cum Valerianus in nostrâ Relatione, unâ cum luculentâ refutatione notarum ipsius lineis interspersarum, & viderit & ultrò alleget; Ipse tamen nec nunc, neque tunc ista nostra *confutare* ausus est, nec nobis quicquam ad ea *respondere*, sed hîc *laudat* tantum nostram negationem, ceu Disputationis legi conformem; Et nihilominus pergit nos accusare, quod *doctrinam ipsorum confutare fugerimus*. Quæ perversa disputandi ratio an unquam audita fuerit, omnino dubito. Deinde *de excursu ad miracula* quod attexit, nos illa jam tum in Relatione nostrâ p. 31. 43. perspicuè refutavimus, ad quæ Valerianus itidem ne verbulum hîc reponit. Et tamen illum non pudet nos accusare, quod à doctrinæ ipsorum confutatione fugaces fuerimus, cum ille ad confutionem nostram sonorâ planè obmutuerit, & adhuc in hâc suâ Actione octavâ obmutescat. Uta. planè coràm Ecclesiâ Christi confundatur, produco in ejus conspectum propria ipsius verba, ex Actione ejus 2. circa fin. pag. 22. Ubi postquam conclusionem posuerat, quod *Pontifex Rom. habeat auctoritatem infallibilem*, immediatè subnectit hæc: *Verum nec definitio illa, sc. Concilii Florentini, nec argumentum nostrum aut aliud quidpiam hujusmodi ea sunt, quæ possint captivare in obsequium Christi, & ejus Ecclesie, omnem altitudinem intellectus extolentem se adversus scientiam Dei; Nisi Deus statuât inter castra Israël & inter castra Aegyptiorum columnam nubis, his tenebrosam, illis illuminans noctem: Nisi, inquam, Deus discernat unicam veram Ecclesiam à cæteribus hereticorum, signis & portæntis.* Tunc Valeriane, excursus vocabis & occasione adjecta, quæ ad rem non petineant, in quibus tu tamen omnem argumenti tui valorem & vim constituïs, & sine quibus illud aut aliud quidquam, planè nil valere asseris, ad captivandum intellectum in Christi & Ecclesie ejus obsequium?

obsequium? Tūc adhuc vociferaberis, te à miraculis, ex proposito præcisè confirmare noluisse Primatum Pontificis Rom. ? Profectò tam jejuna talia sunt, ut dignus sis, vix confutatione, potiùs commiseratione. Tandem non tantùm in genere in Actione nostrâ 3. n. 4. p. 32. diximus, Pontificem infallibilem esse, ex Scripturâ probari non posse; Contrarium apertè constare, ut alibi invictè probatum fuit; Multorum Pontificum Rom. exempla prostare, qui de factò hæresim docuerint, asserentibus ipsis. et antiquioribus Papistis & Conciliis; Nuperum Concilium Tridentinum gravissimos errores in se habere, hætenus multoties probatum esse ex S. Scripturâ: Sed etiam in specie in Actione nostrâ 5. n. 4. p. 43. addidimus: Rom. Pontificem etiam ut Pontificem, atque sic ex Cathedrâ utique errare posse, & sæpius errasse, probavimus ex ipsis Pontificis apud Bellarminum, ex quo locum citavimus. Illos Dn. Capuccini refutent, si possunt & infallibilitatē Papæ nobis in super ex S. Scripturâ ostendāt. Neutrū a. dum faciunt, meritò illos & in hoc succubuisse dicimus. Et exempla Pontificū Rom. ex Cathedrâ errantium, v. g. Honorii, Vigili, Gregorii VII. Johannis XXII. Nicolai I. aliorumq; magno numero adduci queunt. Imò ipse Innocentius X. in quantum Concilium Tridentinum, & cum eo etiam communionē S. Eucharistie sub unâ specie, Missam tanquam sacrificium propriè sic dictum, transubstantiationem, invocationē Sanctorum & longè plura alia contra S. Scripturam propugnat, meritò errare dicitur. Ex quo ad oculos patet, inter falsissimè dicta numeranda esse illa, quæ Valerianus hîc sine ullâ fronte & veritate contra nos effutiit, 1. Nos asserere, dogma illud de infallibilitate Papæ confutatum esse ab aliis. Quæso Valeriane, (si hæc de August. Confessionis Theologis intelligis) ubi hoc diximus? Alibi diximus probatum esse, non ab aliis, siquidem alibi à me ipso protritum illud est, nimirum in AntiFabri parte 1. pag. 866. Quem Principem ipsum legisse, typis divulgatum erat, & quidem citra dubium, te Authore. Quid quòd in ipsâ Relatione nostrâ hâc in parte ad AntiFabri locum illum provocavi, teq; exertis verbis remisi, p. 32. & p. 43. Nec tu tamen ullo verbo in Actione tuâ octavâ respondes, sed sicco pede illa

omnia transfilis, & simulas, ac si nunquam illa in meis scriptis videris aut legeris. Quæ non est indoles candidi ingenii. 2. *Catholicos ignorare errores in fide Romanorum Pontificum.* At aliquoties vobis locum in Actionibus nostris apud Bellarminum consignavimus, ubi Papistæ aperte dicuntur asserere, Pontificem etiam ut Pontificem errare posse & errasse. Entibi verba Bellarmini l. 4. R. P. c. 2. §. Secunda, *Pontificem etiam ut Pontificem posse esse hæreticum & docere hæresin, si absq; Concilio generali definiat, & de factò aliquando accidisse.* Hanc opinionem sequitur & tuetur, Nilus, aliquot Parisenses, Gerson & Almain, Alphonsus de Castro, & Adrianus VI. Papa. *Qui omnes non in Pontifice, sed in Ecclesiâ seu in Concilio generali tantum constituunt infallibilitatem iudicii de rebus fidei.* Idem l. 2. de Concil. c. 2. §. 1. scribit, *Catholici, qui dicunt, Pontificem errare posse, consequenter dicere debent, etiam Concilia particularia errare posse.* Confer nunc, mi Valeriane cum hisce Cardinalis verbis, tua ista verba: *Nos Catholici ignoramus errores in fide Pontificum Rom. 3. Nos etiam monitos in fine 5. Actionis suæ non tamen id effecisse, i. e. non nominasse Pontificem, errorem, testes, contestes.* At evolve Relationem nostram, imò & vestram, parumper, & oppidò falsitatem ipse deprehendes. Monuistis id p. 37. Nominavimus nos statim in Actione nostrâ §. n. 4. p. 43. Pontifices illos errantes sigillatim, prout verba nostra superius relata ostendunt. Nec adeò hospes in historiis Ecclesiasticis Valerianus esse præsumitur, qui ignoret, quinam errores cuilibet à nobis nominato Pontifici attribuantur, & à quibus testibus & contestibus. Imò & ipsi Innocentio X. ex Concilio Tridentino, errores gravissimos, speciatim assignavimus. Quin & in AntiFabri p. 1. p. 883. seqq. ipsos testes & contestes illorum errorum Papalium nominatim adduximus, & omnia enodavimus. Et tu tamen Valeriane, neque in Actione tuâ septimâ, neque in hâc octavâ, unicum verbum istis omnibus opponis, quo coneris saltem aliquid respondere. Judicet Christianus orbis, num nos fugaces fuerimus à confutatione doctrinæ hujus Papisticæ, prout à maleferiatis hisce indignissimè accusamur?

Pag. 6. & 7. probare contendit, quòd nos etiam fugerimus & recusaverimus confirmationem doctrinae nostrae. Nam 1. in Actione nostrâ secundâ, se noluisse ob causam allegatam (sc. p. 4. quòd Valeriano somniantem, veram nostram sententiam convenienter non asseruerimus ad quæstionem quartam) disputare thesin illam, quòd S. Scriptura sit unica vox Sp. S. infallibilis & decisiva omnium controversiarum obortarum in Ecclesiâ, quapropter textus à nobis accumulatos, à se non debuisse expendi. Irrationabiliter ergò eâ de re à nobis se reprehendi. 2. Catholicos admittere, quòd illa sit vera Ecclesia, in quâ verbum Dei purè docetur & Sacramenta legitime dispensantur, i. e. convenienter S. Scripturæ; Et quòd Christus sit unicum Ecclesie fundamentum. Quapropter non fuisse necesse, expendi textus à nobis allegatos. 3. Nostram verò Ecclesiam se taliter habere, se negare, nos verò non confirmare, quapropter se de nobis conquestos fuisse in fine Actionis suæ quinta.

R. ad 1. Nos v. in Relatione nostrâ p. 16 17. 33. 34. lit. F. 38. 44. & c, validissimè demonstravimus, quæstioni quartæ, prout illa formata & nobis proposita fuit, *Quid* id sit, unde, & c, nos aliter respondere non potuisse nec debuisse, nisi illam nostram thesin seu sententiam de S. Scripturâ ceu Normâ unicâ, perspicuâ & perfectâ, ratione cujus prima & capitalis nobis cum Papatu controversia intercedit, prout etiam in vulgus notum est, ponendo, atque sic Medii nostri *Quidditatem*, exigentem quæstionem, significando. Postea verò ubi hæc nostra sententia ventilata & evicta fuisset, tum demum de *Modo*, quo medium illud à quolibet & quâlibet applicandum & usurpandum sit, differendi locus & tempus extitisset. Et notissimum est, quòd *Quomodo* non debere tractari ante *Quid*; Verùm *Quid* semper præponi debere *Quomodo*, & *Quidditatem* ipsi applicationis & usurpationis *Modo*. Id quod ad oculum Valeriano in Relatione nostrâ ostensum fuit. Verùm ille istam meam demonstrationem præterit, & perpetuò hunc Coccysmum suum ingeminat, perinde ac si nusquam in scriptis meis ejusdem solida refutatio extet. Id quod profectò cordatis Christianis minimè placere potest. Proinde
(ut Va-

(ut Valeriani verbis denuò utat) *imprudentiæ nedum stoliditati fuisset tribuendum, si tam iniquâ conditione fuisset profecuti Disputationem inchoatam.* Neque Valerianus persuasum sibi habeat, quoniam forsitan ipse, dum quæstionem illam quartam, *Quid sit, unde, &c.* calamo conscribebat, atque ita verbis dictis formabat, mente suâ quæstionem de τῶ *Quomodo* conceperat, nos propterea non rectè respondisse, ubi de *Quidditate* mediî nostrî responsionem dedimus, *Modum* suo loco & tempori reservantes. Siquidem nos in Disputationibus ejusmodi non tacitis aliorum hominum cogitatis, utpote nobis ignotis, respondere tenemur, verùm quæstioni verbis prolata, *de ore tuo te judico, Luc. 19. v. 22. Ex verbis tuis justificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis, Matt. 12. v. 37.* Et constanter Valerianum magni & improvidi erroris accusamus, quòd ipse *de modo* tacitè & intus cogitans, de *Quidditate*, verò foris & in chartâ quæstionem formans, verba ineptè fecerit, sic ubi nos accusare perrexerit, quòd thesin quæstioni non congruam poluerimus. Omnino Logici tyrones nôrunt, ineptè ad quæstionem de τῶ *Quid* institutam, responsionè de τῶ *Quomodo* dari. Ex quibus apertissimū est, non irrationabiliter, sed justè & rectè nos eos hâc de re accusare, ipsos v. prorsus αλόγως contra Naturæ, Logicæ & omnium disciplinarū rectè constitutarum ordinè agere, nosq; immeritò reprehendere. Quæ cum ita se habeant, consequens est immotum, nos, rectissimè dictis allegatis illam nostram thesin confirmâsse, atq; sic nullius fugæ, ac si nostrâ thesin confirmare tergiversati fuerimus, accusari aut convinci debere, Capuccinos verò dum à discussione dictorum illorum Biblicorum huc usque se subduxerunt, verè fugæ & trepidationis reos esse.

℞. ad 2. Quo sensu, scilicet Pontificiis penitus adversante, nos illas Assertiones nostras posuerimus, statim in Actione nostrâ quintâ n. 1. & 2. p. 32. lit. f. ut & septimâ p. 51. 52. conf. etiam p. 24. 25. significavimus & ab eadē hac Valeriani detorsione masculè vindicavimus; Quin & notas ejus interlineares de eadem corruptione adjectas, inibi p. 32. perspicuè refutavimus. Ad quæ ille ne verbum quidem, sive tum Rheinfelsæ in

Actione

Actione suâ subsequente quartâ & reliquis, siue nunc in Actione suâ
 octavâ reponit, sed priorem suam accusationem in hac solùm repetit.
 Perinde ac si confutare esset, semper priorem cramben apponere, ad
 refutationem verò oppositam prorsus silere, & illam ne aggredi qui-
 dem. Cùm ergò notoriè falsum sit, nobis cum Papistis convenire, quòd
 ea sit vera Ecclesia, cuius doctrina & publica Sacramentorum admi-
 nistratio *consona est Scripturæ sacræ, seu Normæ unicæ, perspicuæ & perfe-
 ctæ*, & quòd illa sit doctrina fundamentalis, *quæ in S. Scripturâ solùm re-
 velata est*; Adeò ut ipse Valerianus postea in Colloquio p. 56. nobis eâ
 in parte sonorâ voce contradixerit: Profectò satis mirari non possu-
 mus ejusdem temeritatem, imò & stupiditatem, quâ asserere audet,
 Papistas utramque illam propositionem admittere, & non observat,
 Lectorem oppidò animadvertere, quòd hæc ipse dicat, tantùm ad te-
 gendam suam inscitiam, quâ controversiæ isti maximæ deducendæ in-
 ceptus planè fuit, atque ita fuco isto apertè falso eam declinare voluit.
 Maximè, cùm in Actione nostrâ quartâ Rheinfelsæ, & postea deuò in
 refutatione notarum illius interlinearium, p. 32. 33. lit. f. imò & in Actio-
 ne nostrâ septimâ p. 51. 52. illam nostram sententiam clarè posuerimus,
 & Papatus hoc ipso *disprobandum* apertâq; fronte contradixerimus. Quin
 & ipsemet testetur, nos ponendo tres nostras theses, quæstionibus mo-
 tis satisfecisse, prout superiùs ex ipso audivimus. Et tamen ille ad illam
 nostram contradictionem demonstrationemq; Sole clariorem & ocu-
 los & os suum occludit, planè nihil respondens, sed cramben suam re-
 petit, quam Rheinfelsæ solidè confutaveramus, adeò ut penitus obmu-
 tuerit. Quæ profectò in Valeriano est disputandi perversitas puden-
 da, & nullo colore excusanda; Unde Lector mecum in sententiâ illâ
 confortabitur, quòd Valerianus ab omnium illarum thesium discussio-
 ne abstinerit, etiam cùm apertè falso prætextu, & dedecore suo, nun-
 quam eluendo, cui se minus idoneum præsensit. Atque inde eum ad
 nullam specialem discussionem dictorum Biblicorum, quibus illas no-
 stras theses communivimus, pertrahere potuimus. Ut toti Christiano

D

orbi



orbi hæc perversa ratio eò magis patefiat, rem Syllogismo solido includemus:

Qui theses quæstioni conformiter positas, & parti adversæ directè oppositas, adeò ut ipsa hæc fateri necesse habeat, & dictis Biblicis communitas, hoc ipso eludit, quòd dicit, illas sibi non contrariari; Ille temerarium agit Disputatorem, aut suam inscitiam ita tegit, quâ respondere nescit.

Atqui Valerianus talem se hoc in loco præstat. Ergò, &c.

℞. ad 3. Minorem nostram quod concernit, diximus & scripsimus Rheinfelsæ, quòd Capuccini nobiscum in arenam debeant descendere, experturi, quòd illam utramque fortissimis argumentis simus demonstraturi; Sic etiam in confutatione notarum interlinearium, addidimus, quòd nobis mens non fuerit Minorem nostrâ probare, nisi discussâ prius nostrâ Majore, ad cujus Examen speciale proinde eos instanter & sedulò provocavimus; Sed omnia illi constanter eluserunt, omnem Disputationem, cui eos adstringebamus, effugientes; Quærelam etiam illam, itidem Rheinfelsæ, ut & postea in refutatione glossarum interjectarum, perspicuè confutavimus & contudimus. Prout hæc omnia toti orbi exposita sunt in Relatione nostrâ p. 32. 33. 34. lit. f. 40. 41. 42. 43. 44. 45. Quid ad hæc omnia Valerianus in hac sua Actione nova? Priora sua reperit, perinde ac si nunquam illa à me confutata fuerint. Quæ profectò est disputandi ratio detestanda, & sibilis puerorum è scholis profliganda. Et tamen fastuosè adhuc ad novas Actiones me provocat, qui prioribus illis, quæ jamdum scriptæ & ab illius insultibus vindicatæ sunt, nondum satisfecit, nec satisfacere audet. Mirabitur mecum Ecclesia Christi hominis hujus ingenium audax & verè temerarium. Sed properemus ad alia.

Pag. 7. 8. scribit: *Se magis nostram levitatem mirari, dum nullo argumento, sed duntaxat hisce 4. verbis: Res per se patet, sarraginem doctrinarum in libris nostris Symbolicis, probaverimus. Cum tamen titulus Actionis nostræ secunda sit: Probationes nostræ. Et pertinaciam nobis affingit, dum lapsum illum memoria nolimus agnoscere.*

Ut

Ut verò stupenda Valeriani pertinacia & omnia rectè constituta exagitandi libido ad oculum patefeat, propria ejus verba hîc ei opponimus. Postquam in actione 1. theses suas posuerat, & inter illas etiam hanc tertiam: *Articuli ab aetate Lutheri controversi inter Christianos fuerunt decisi à S. Oecumenicâ Tridentinâ Synodo, confirmatâ à Pio IV. Pontifice Rom.* Quam thesin ille posuerat ad quæstionem 3. de *Libris Symbolicis, in quibus decisio quæstionum facta & reducta sit*, vide Relat. p. 12. Postquam, inquam, ita posuerat, in Actione 2. statim ita subdit ab initio: *In primâ nostrâ Actione edidimus sententiam Catholicam de Ecclesiâ Christi, de doctrinâ fidei, de quæstionibus disputatis ab aetate Lutheri, & de Primatu Pontificis Rom.* Hæc porro actione inus CONFIRMATUM eandem sententiam Catholicam. Sic & in Actione sua nova p. 3. ait, in Act. 2. debuisse poni *rationes & argumenta*, &c. Et tamen ille in Actione 2. suam thesin, quòd *Tridentina Synodus illis sit liber Symbolicus, in quo quæstiones ille decise extent*, ne unicâ quidem ratione probat. Nam quòd infallibilitatem Papæ, suâ opinione, probat, illud probaret tantùm, *infallibiliter* in Tridentino illo libro quæstiones esse decisas, id quod jam non quæritur, nequaquam verò, quòd sint decise. Illud quæstioni satisfaceret, *quomodo* sint decise, *rectène, an minus rectè?* Non verò quæstioni, *An sint decise?* Qualis enim consequentia esset, Papa est infallibilis, E. Tridenti Synodus est habita? Nulla. Sic ergò nullâ ratione ille confirmavit thesin, quòd Tridentinus liber eis sit symbolicus, utpote quod per se patebat, non obstante eo, quòd hæc Actio, ipsomet asserente, in se confirmationes, rationes & argumenta Actionis primæ complectatur. Hæc ipse Valerianus, qui tamen à lapsu memoriæ se eo nomine absolvit. Quâ, quæso, ergò fronte nobis eo ipso oblivionē & pertinaciam imputare potest? Nimirum ille intentior esse solet aliis reprehendendis quàm sibi corrigēdo. Rem ipsam quod attinet, diximus in Relatione nostrâ p. 24. 33. lit. f. aliquoties, nos quoad illâ thesin nō debuisse nec voluisse Augustanæ Confess. Apologiæ ejusdē, Formulæ Concordiæ, Articulorum Smalcaldicorum &c, ceu librorū in nostris Ecclesiis Symbolico-



rum, orthodoxam *veritatem*, sed tantum *facti historiam* asserere, de qua res per se patet. Et nihilominus citra ullum memoriae lapsum titulus Actionis nostrae 2. *Probationes nostrae &c.*, manet in salvo. Cui enim non constat, *rerum testimonia* esse probationem realem & solidissimam, & ubi illa adsunt, non opus esse *probatione verbis facta* & aliunde accersita? Quod si etiam Valerianus tam bonus vult videri Logicus, cur non memor extitit, illius Regulae Logicis familiarissimae, *A potiori fit denominatio*. Sic ergo ipse sui oblitus est, qui tamen aliis memoriae lapsum exprobrare vult, ubi tamen non est. Sic excidit ejus memoriâ, dum *michi verba excedisse* scribit. Sic horribilis & inexcusabilis est lapsus memoriae, dum paulò post p. 8. inter illos Theologos, quorum judicia & testimonia de nostris Rheinfelsanis Actionibus adduximus, & typis excusa praefiximus, numerat *Theologos Giffenses*, eosque primo loco ponit. Ubi hinc, Valeriane, memoria tua? Ubi rei veritas? Postea in fine hujus pagellae, ait, *se elato cachinno risisse, quod tot Facultatum Theologicarum testimonio triumphus noster confirmatus fuerit, perinde ac deridendus esset ille Dux belli, qui se ferente praelio se subduceret*. Sed si moderatos & bene moratos Christianos cachinni elati decerent, profectò ille dignus esset, qui illis exciperetur, qui *deridendus*, dixit, cum, *laudandus*, dicere debuisset. Dux in fugiens omnino est deridendus, non verò laudandus, qualem negationem tamen Valerianus h. l. intendebat. Inunc Valeriane, & mihi lapsus impinge.

Inibi p. 8. tandem, ex hisce, quae dixit, vult inferre, *Nos fugisse & aversos fuisse à studio veritatis & ab ipsâ disputatione. Nosque impatientes fuisse morae in arce Rheinfelsae. Provocare se ad instrumenta Notarii. Et primò se Actionem nostram 7. accepisse 18. Iunii.*

Sed cum istius accusationis falsa principia huc usque subvertimus, ipsam hanc accusationem falsam & iniquam esse, necesse est, & clarissimè patet. Viderat Valerianus in Relatione nostrâ verâ & candidâ ista falsa fundamenta ejus omnia subruta; Ac nihil ad nostram illam confutationem respondet, verum in hac Actione suâ novâ se quoad illa plane elin-

nè elinguem & mutum ostendit, prout hucusque cum admiratione
 summâ percepimus: Et nihilominus ille cramben suam de *fugâ & a-*
versione nostri à studio veritatis & à disputatione, cujus nos iniquissimè
 & falsissimè accusat, ceu conclusionem ingeminat, reponit, repetit, in-
 culcat ad nauseam usque. Quod an imprudentiæ, an verò malevolen-
 tiæ ipsius sit adscribendum, æquus Lector judicet. Legerat idem ipse in
 nostrâ Relatione, & citaverat etiam ex illâ, in suâ novâ Actione p. 10.
 quòd nos scripseramus, ipsum *per calumnias suas*, ubi amplius respon-
 dere non poterat, finem Disputationi fecisse; *Nos autem eos ab hoc ca-*
lumnioso modo ad verum & candidum disputandi modum revocasse, ipsos
verò hunc detrectasse, videatur Relatio p. 47. 70. 71. 83. Legerat, in-
 quam, & citaverat hæc & negare non poterat, neque etiam negat: Nec
 tamen audet refutare, neque etiam refutat; Quia sc. non potest. Se-
 quitur ergò immorè, *fugæ, cujus nos illi iniquè accusant, illos manifestè re-*
osperagi, quod nos etiam ibidem addideramus. Maximè quia fugæ il-
 lius accusationem nos solidè prostravimus, & nihilominus ille ista no-
 stra legens, neque negans, convellere ausus non est. Testes etiam nos
 apposuimus in Relatione, per quos Valeriano colloquium candidum
 & à calumniis repurgatum detulimus, & per quos etiam recusatio Va-
 leriani, quoad hoc, nobis denunciata fuit, ministros sc. Principis non in-
 finos. Sed ille antiquum obtinens, obmutescit, & tamen obstinatè
 nos fugæ à Disputatione pergit accusare. Qui est stupor profectò cor-
 dato viro penitus indignus. Porrò, impatientes moræ in arce Rhein-
 felsæ fuimus, verùm illius, *quâ Valerianus Colloquium initiò recusave-*
rat, quâ videbamus, nos, ut ut veritatè monstremus, nihil efficere neque
effecturos esse, Papismo jamdum concluso, quâ comperiri cogebamur,
omnia in capturam tendere & prætextum, quâ Valerianus nostris argu-
mētis superatus ad horribiles devolutus est calumnias, quâ ve Colloqui-
um candidum & Academicum eidem delatum, ab ipso recusatum fu-
it, &c. Hanc sanè moram ferre nec debebamus nec volebamus, non
 verò *illam*, quâ res Theologicas candidè & dextrè tractari desidera-
 bamus,

bamus, & toto corde exoptabamus, verum in cassum & sine eventu fructuoso. Instrumenta Notarii, ad quæ Valerianus provocat, si rectè & secundum rerum & circumstantiarum, inibi expressarum tenorem, considerentur & intelligantur, prout intelligi fas est, causæ nostræ sinceram rectitudinem contra Valerianum perspicuè demonstrant, ejus verò calumnias, in respondendo vanitatem, progressus indignitatem, & alia minus convenientia contra eundem luculentè præ se ferunt, adeò ut ex illis ipsis instrumentis Capuccinos convicerimus, eosq; proprio suo gladio confoderimus, prout nos in Relatione ostendimus, ad quæ ille pro more suo itidem tacet, neque refellere audet, neque etiam potest. Quamvis enim de illis tantum rebus, quæ Capuccinis inservire videbantur, non verò de iis quamplurimis, quæ nobis favebant, instrumenta confici jussum fuerit, non citra partium studium; Commodum tamen non sine divinâ directione accidit, ut iisdem Instrumentis contra Antagonistas nostros uti queamus, quin & in Relatione nostrâ usi fuerimus. Tandem ad illud, quo Valerianus se serò nostram Actionem 7. accepisse dicit, respondemus, nos id suo loco, non tamen sine dubitatione, relinquere. Nos sanè non tenebamur illam scriptam statim eis transmittere, cum, quòd illos videbamus Actiones suas abrumpere & non amplius continuare velle, tum, quòd ipsimet Actionis suæ ultimæ autographum nobis non transmiserunt, verum difficulter aliunde copiam illius nacti fuimus. Quòd verò hanc novam Actionem ab eo tempore, quo se accepisse dicunt actionem nostram septimam, adornârunt, sat citò, sanè id factum fuisset, si sat bene. Verum illam adeò præcipitârunt, ut tam quoad rerum momenta, quàm quoad verba ipsa enormiter peccârunt, atque ita ex istâ celeri divulgatione nil laudis eis accedat.

Pag. 9. promittit confirmationem autoritatis Papalis, & refutationem scrutini apud nos privati, & tum experimento nostro, fore facile & jucundum, expendere textus sacros, à nobis allegatos.

Hoc autem nihil aliud est, quàm cæteros Papistas & propriam
consci-

conscientiam Valeriano vitio vertere, quod causam suam non melius Rheinfelsæ defenderit, ut proinde nunc in conflictu iterum instaurando, id præstare conetur, quod antea non potuit præstare. Sed præstolabimur novos ejus ictus, citra dubium æquè vanos, atque priores fuerunt. Debuisset etiam statim textus sacros expendere, & postea scrutinium illis accommodare. Sed præpostero ordine ille omnia agit, prius vult tractare, *quomodo* medium sit adhibendum, postea *quòdnam* sit medium verum & certum. Sensum textuum sacrorum vult ex praxi desumere, non praxin ad textus sacros inflectere. Quæ sanè confusio est, Theologo indigna.

Ibid. ut & p. 10. *Stylum à me postulat magis urbanum & Christianum, &c.* Verùm Antagonistas licet ἐὺλόγως, seu ut vulgata vestra habet, *vehementer refutare*, Act. 18. v. ult. & cum reprehensione audaciæ & pertinaciæ ipsorum, Act. 7. v. 51. Tit. 1. v. 10. 11. &c. Ac scapham scapham, ligonem verò ligonem appellare decet. Valerianus nos præter omne meritum nuncupavit *colluviem heresiarcharum & hereticorum, fugaces à studio veritatis, nugatores, Lutherum verò infamem, &c.* Quæ non redolent modestiam ab ipso tantopere decantatam. Unde nos non potuimus non effatum illud *audacissimum* pronunciare, & adhuc dum falsissimum pronunciamus, debito zelo in Christo, Act. 23. v. 3. Quoniam autem ipsemet fatetur, quod in eo, dum *Nugas*, nostras Actiones proclamavit, minùs rectè egerit, rectè ille eo nomine censurâ debitâ à nobis notatus fuit. Discat ergò imposterus modestiùs & veraciùs de nobis sentire & scribere. *Calumniis* verò evomendis Valerianum in Actionibus tandem studuisse, quod notavimus & in eo reprehendimus, non est ut conqueratur. Siquidem res ipsa illud loquitur, prout in Relatione ostensum fuit, quæ videantur p. 30. 46. 71. &c. Ita ut adhuc dicamus, Valerianum solere initio blandiri, sed sub blanditiis occultare calumniarum stimulum, quem ubi res ad nutum ipsius non peragitur, ipseque non ampliùs respondere valet, tandem exerit.


Tandem p. 10. inter *falsissimè dicta* numerat, nos *Capuccinos, nolentes ve-*

tes ve-

tes venire ad Colloquium constanti nostrâ postulatione pertraxisse, desideratq; testimonium à nobis publicandum.

At provocamus hâc in parte 1. ad candidam fidem & conscientiam, quam illâsam conservare studemus in conspectu Dei, quòd ipse Princeps nobis significârit, Capuccinos noluisse initiò consentire in Colloquium, sicut retulimus p. 7. & 9. in Relatione nostrâ. Provocamus 2. ad Protocollû, sanctâ fide à viro integerrimo, Dn. M. Georgio Eberhardo Happelio conscriptû. 3. Ad morâ illâ, quâ Colloquiû quod nos tertio statim ab adventu Capuccinorum die institui poscebamus, in diem demum 10. Decembris fuit dilatatum, destinatis illi non nisi quatuor horis antemeridianis, 4. Ad ipsa Notarii instrumenta eatenus, quatenus ipsèmet testatur, quòd Princeps nobis *conferentiam vocalem, ad nostri instantiam detulerit. Et quòd ego D. Haberkornius dixerim, quòd Colloquium illud ipsum, quando dissuasum est, quantum in me fuit, urserim.* Cui etiam inibi ne verbo quidem sive à Principe sive à Ministris contradicebatur. Vide hæc in ipsâ Capuccinorum Relatione p. 40. & p. 56. At quid est *instare & urgere rem*, nisi apud nolentes? Quibus certè hanc Valeriani provocationem solidè retundimus & coercesimus.

SOLI DEO GLORIA.



IN NOMINE JESU!

CONFUTATIO ACTIONIS
VALERIANI NONÆ.

E Novem Disputationibus Valeriano oppositis, placuit ei non nisi unam seligere oppugnandam, numero scilicet septimam. Ad reliquas omnes obmutuit pro more. Sed nec totam septimam Disputationem impugnare audeat, verùm quæpiam solum pro suo lubitu ex illâ excerpit, quæ exagitare conatur. Reliqua præterit, quæ ille ne audeat quidem attingere. Atque sic semper antiquum obtinet, ut omnia silendo à se declinet, quibus discutiendis se imparem novit,

se imparem novit, unicæ quæstioni, *quomodo sc. quilibet & quælibet sibi ab errore & deceptione tam activâ quàm passivâ Ecclesia & Doctorum ejus, cavere queat?* utpote cui ventilandæ se majus vitæ suæ curriculum impendisse gloriatur, & tempus & ingenium suum reservans. Valerian. in Cathol. Regulâ cred. p. 141. Et in Acath. Regulâ. cred. p. 2.

In AntiValeriano meo disp. 7. p. 72. monueram, quæstionem *de medii quidditate*, per quod quilibet & quælibet sibi ab erroribus cavere possit & debeat, accuratè discernendam esse à quæstione *de modo*, quo medium illud eum finem in particularibus casibus applicari & usurpari possit debeatvé, ut quilibet & quælibet ab erroribus exitialibus per illud præmuniatur. Valerianus in Actione suâ nonâ, noviter in lucem emissâ p. 1. dicit ad hæc: *Egrègiè, laudo te. Categoriçè satis.* Ex quâ ejus confessione ego infero, Antagonistam hoc ipso necesse habere, errorem suum reprehendere, quem toties ego & in Actis Rheinfelsanis p. 16. 17. 24. 25. 33. 34. 38. 44. 45. 58. 59. & in AntiValeriano Disp. 7. p. 72. in ipso castigavi, dum disputaturus *de modo*, quo quilibet & quælibet ab erroribus docentium præservari debeat, per imperitam rerum confusionem quæstionem *de medii quidditate* formavit, ac proinde ineptè me toties accusâsse, quasi thesî quæstioni convenientem non dedidim, cùm tamen de medii quidditate interrogatus, ego illud ipsum in suâ quidditate consideratum secundùm nostram sententiam apertè posuerim, quòd scilicet medium illud aliud non sit, nisi S. Scriptura. Addidî etiam: *Imperitè ergò Valerianus agit, dum hunc sensum intendens, illis tamen verbis quæstionem proponit. Quæ confusio ab accurato disputatore, præsertim qui Categoriçam & planam responsionem ab Adversario suo efflagitat, aliena esse debet.* Legerat ille isthæc loco citato, & me laudat, quòd distinctè, medium in se, & modum usurpandi medii, tractari velim & tractem. Sibi ergò causam hæc in parte proprio suo iudicio aufert, mihi verò adjudicat.

Deinde rem totam de modo, medium sc. scripturæ legitimè usurpandi, perspicuo disjuncto ita proposuerã in AntiVal. Disp. 7. p. 72. 73.

E

Ant

Aut quilibet & qualibet per Ministerium Ecclesiasticum vel per se, verum sensum ex S. Scripturâ haurire potest: Aut non potest. Si prius datur, tum expedita res est, quomodo quilibet & qualibet sibi ab erroribus docentiû cavere possit? Sc. non nisi S. Scriptura fideliter attendendo vel per se vel beneficio Ministerii orthodoxi, ritè verbum Dei ex illâ proponentis. Sin posterius detur, tum res recidit in eum casum, de quo S. Scriptura dicit, quòd per justitiam Dei vindicativam homines aliquando verbi divini puritate priventur, & in errores efficaces tradantur. Quo tamen applicationis usu & actu negato, non infertur eo ipso mediâ insufficientia in se, sc. S. Scriptura. Hæc mea verba Valerianus in Anti Valeriano meo & legit, & simul allegat, in Actione suâ nonâ. Quid verbò ille ad hæc? Nihil respondet. Communiveram etiam priorem disjuncti partem, quoad illud, quòd ad quemlibet Christianum pertineat scrutinium veritatis divinæ, ex S. Scripturâ, solidis dictis Biblicis, p. 46. seqq. Quid hîc Valerianus? Nihil respondet. Explicaveram etiam perspicuè, & solidè ex S. Scripturâ demonstraveram, quòd Christiani quoad hoc suum scrutinium & cognitionem veritatis divinæ ex S. Scripturâ, loquendo de communi, à Deo sancito ordine, non nisi à Ministerio Ecclesiastico pendere debeant, p. 52. 53. seqq. Quid hîc Valerianus agit? Legerat, viderat omnia, & tamen nihil respondet. Posteriores disjuncti partem tandem probatum iveram multis argumentis, & ex hypothesebus ipsorum Papistarum, p. 66. seqq. Quid hîc Valerianus præstat? Nihil respondet. Exprobraveram Papistis, secretum illud Anti Christianum & turpissimum, quo statuunt, Laicos obedire debere, sive Pastores errent, sive non, p. 71. Quid hîc Valerianus? Nihil respondet. Adeo invictum est veritatis robur, Antagonistæ monstratæ, ut toties ad illam planè obmutuerit, nec verbum reponere ausus fuerit.

Paginâ autem 2. & 3. ut & p. 5. 6. Actionis suæ nonæ Valerianitis facinus committit, minimè in ipso laudandum. Audacter enim fingit. 1. Me sacra Biblia magna sola concedere Pastoribus & Docentibus, 2. Sacra Biblia parva. i. e. Catechismum, me discipulis & ovibus simplicioribus ad-

ibus adscribere. 3. *his vero qui legere nesciunt, solam Scripturam sacram ab orthodoxo Ministerio vocetenus propositam & explicatam. Unde quilibet in suâ classe sibi ab erroribus Ecclesie cavere possint & debeant.* Tandem me alloquitur, quasi re bene gestâ, scribens: *En Haberkorni, ut tua thesis à nobis considerata attentius, evasit in tres, & sacer textus propagatur in tres sacros textus: Vnum complectuntur magna sacra Biblia: reliquos duos parva sacra Biblia; quæ si sint scripta, dant Catechismum: si sint vocetenus prolata, dant vocale ministerium verbi.* Hæc ille. Sed profectò, Valeriane, satis mirari nequeo, quî non erubueris mihi talem sententiam affricare, à quâ ego tamen planè alienus sum, neque illa ex toto meo AntiValeriano, & ex Actis Rheinfelsanis omnibus ullo modo exsculpi potest. Mirabuntur mecum omnes cordati Christiani, quâ fronte contra proximum tam apertè falsum testimonium proloqui ausus sis. Et quod majus est, contra illam à te fictam & mihi affictam opinionem, immani ausu tela argumentorum tuorum dirigis, inq; ejus oppugnatione gloriam magnam quæris. Ad modum puerorum illorum, qui ex chartis ædiculas construere laborant, quas postea ingenti halitu dejiciunt, & in eo fortitudinis non exiguæ laudem constituunt. Quò autem toti Europæ, imò totiorbi, in cujus conspectum me provocas, pateat, quantâ vanitate tuam rem tuam agas; Ideò propriæ vertiginis ex tuis te verbis hæc in parte convincam. Dixeras, me *categoricam satis*, thesin posuisse: Mox tamen addis, te illam censere neque claram neque præcisam. At quod est categoricum satis, id ipsum etiam clarum & præcisum sit oportet. Deinde ais, me *Docentibus, Pastoribus, Magistratibus, Senioribus, Fortibus in Fide, Perfectis, quorum est solidus cibus, Præditis vivacitate intelligendi, concedere Magna Biblia, opposita classi discipulorum, &c, adscribere Parva.* Postea verò dicis, me *Pastoribus & Docentibus sola Biblia magna relinquere.* At & Magistratus, Seniores, Fortes in Fide, &c, sunt Discipuli, quibus me magna Biblia concedere, dixeras. Et quantâ titubatione hæc de me scripseris, ipsemet prodis, dum ad me dicis: *deris*



deris considerare S. Biblia sub duabus formis. Item: *Existimamus* hanc thesin consonare cum tuo Anti Valeriano; Sic & p. 6. ais. Provoco autem te, constanter, ut mihi ex toto meo Anti Valeriano ostendas locum & verba, ubi ego sacrum textum propagârim *in tres sacros textus*. Et ubi juxta me, parva Biblia, si sint *scripta*, faciant *Catechismum*, si verò *vocetenus prolata* fuerint, dent *Ministerium verbi*. Et tamen adeò audacter hæc de me in mundo divulgas. Neque hanc tu sententiam exculpere & jure mihi adscribere potes ex illis, quæ ex meo Anti Valeriano adducis, verbis, quibus assero: *Populare & infimum scrutinium esse, quo quilibet fidelis pro suo modulo judicat de veritate Articulorum, quos simplici fide recipit & credit, fundare illam non in aliquâ infallibilitate Papæ & Conciliorum, quam Pontificii semper jaçant, sed infallibilitate S. Scripturæ, aut saltem Catechismi sui tanquam parvorum Bibliorum*. Nam loquor ibi de scrutinio omnium Auditorum in Ecclesiâ, quod voco, docendi causâ, popolare & infimum, in oppositione ad Ecclesiasticum seu mediocre, quod dixeram quorumlibet Pastorum esse debere, & ad summum seu Academicum & Theologicum, quo veritas ἀκριβῶς doceatur, & adversarii ἐπιλόγως refutentur. Jam verò inter Auditores numerantur etiam Magistratus, Seniores, Fortes in Fide, &c, quibus te ipso judice, ego profectò Biblia magna seu S. Scripturam non adimo. Imò nec illis eripio, qui sunt inter Auditores illos omnium simplicissimi, siquidem dico, *illos saltē seu ad minimum in Catechismi sui infallibilitate fundare fidem suam*. At verò quibus Catechismus ad minimum, & sic comparatè, in respectu ad S. Scripturam tribuitur, iis S. Scriptura simpliciter non eripitur. Sicut quando de Studioso Juris dicitur, quòd ad minimum Regulas Juris sibi perspectas habere debeat, non ei propterea reliquæ Leges è manibus excutiuntur. Et ut omne planè dubium tollatur, quòd etiam simplicissimorum Auditorum fidem ultimò in S. Scripturam referam & resolvam, statim ac immediatè illis, à Valeriano allegatis verbis, addidi: *Ita ut (fidelis quilibet) verbum, quod ei à Ministerio proponitur ex S. Scripturâ, judicet esse verbum Dei & veritatem divinam,*

vinam, eamq. non raro etiam cum intellectus vivacitate certo & nervose à falsitate secernat Papistarum, Calvinistarum, Photinianorum, Judaorum &c, non quia Papa id verum esse dicit, sed quia audit esse verbum Dei, ex S. Scripturâ clarè à Ministerio propositum, 1. Cor. 2. v. 15. 1. Theß. 5. v. 21. 1. Ioh. 4. v. 1. Eph. 2. v. 19. 20. Eandem sententiam p. 53. hisce repetii verbis: Hoc ergò juxta S. Scripturam est populi Christiani judicium, ut à Ministerio Ecclesiastico non ad Papæ & Conciliorum infallibilitatem, seu ultimum revelationis divinae medium, sed ad S. Scripturam claram & solidam explicationem remittatur, ac fundamenta veritatis divinae immotè & perspicuè ei ex illâ monstrentur, quò plebs Christiana, precioso Christi sanguine & sic pretio magno empta & redempta, de illâ ita judicare, & ex orthodoxâ Ministerii Ecclesiastici informatione suam fidem, non in decreta hominum, sed in S. Scripturâ dictâ & sententiam solidam unicè referat & ultimò resolvat. Quod ut fieri possit, debent Ministri Ecclesiæ, orthodoxie unicè ex S. Scripturâ studere, Auditores verò sententia ex illâ clarè monstrata obsequi debent. Atque ita Ministerio Ecclesiastico probè & orthodoxè constituto, orthodoxia in totum Auditorium rectè & certè influere potest. Quæ Ministerii recta constitutio perfici & observari debet à totâ Ecclesiâ, Pastoribus, Magistratu, Senioribus, & omnibus aliis, qui intellectu & S. Scripturæ cognitione majori instructi sunt, semper tamen, quantum ad communem Dei ordinem, à Ministerii informatione dependendo. Atq. ex hisce nunc facilimè ad illum perpetuum Valeriani Coccysinum respondetur: Quomodo quilibet & qualibet sibi ab errore cavere possit? Scilicet potest hoc beneficio Ministerii orthodoxi seu probè constituti & non nisi ex S. Scripturâ solidè & perspicuè docentis, cui quilibet & qualibet tum obtemperare tenetur, &c. Similia habeo p. 79. Populare & infirmum judicium est eorum, qui Auditores sunt. Et inter hos dantur gradus, quidam enim vivacioris sunt judicii, quidam verò simplicis fidei. Dicimus ergò, Ministerium Ecclesiasticum in eo sedulo esse debere, ut totum Auditorium ac Ecclesiam non nisi ex S. Scripturâ clarissimis testimoniis de Articulis fidei orthodoxè & fideliter edoceat, errores verò perspicuè monstret & refutet, ut



ipsi Auditores illam veritatem divinam manifestè agnoscere possint, &c.
 Eadem inculcantur Disp. 8. p. 103. *Judicium ac scrutinium veritatis ex
 S. Scripturâ, competens toti Ecclesiæ, Docentibus & Discipulis non est u-
 niforme, sed aliorum est exquisitum & summum, aliorum mediocre, alio-
 rum verò popolare & infimum, pro distinctis donorum gradibus in Mini-
 sterio, Magistratu, Senioribus & reliquis Auditoribus. Itatamen ut scruti-
 nium Auditorum (loquendo de communi Dei ordine, & si ipsimet per se ve-
 ritatem ex S. Scripturâ perscrutari nequeunt) non nisi à fideli & solidâ in-
 formatione ac scrutinio Ministerii ex S. Scripturâ accuratè & unice desum-
 pto dependeat. Atque sic falsum est, ac si ex nostrâ doctrinâ singuli ac sin-
 gula sub pœnâ mortis æternæ, ex se teneantur omnes controversias deter-
 minare, aut summo illo judicio, quo Ministerio competit. Pag. 105. Sufficit
 Laicis, si capita Catechetica orthodoxo sensu ex S. Scripturâ credant, &c.
 Sed quid opus est, omnia adducere, singulæ enim paginæ in Disputatio-
 ne VII. eandem nostram sententiam ita explanant, ut constanter sta-
 tuamus, omnem veram, etiam Catechetica doctrinam, à Ministerio
 propositam & declaratam, ultimò & unice non nisi in S. Scripturam re-
 solvi, ac proinde hanc ex illâ nequaquam secludi debere. Ipse Vale-
 rianus allegat nostram sententiam ex Disp. 4. p. 143. quâ probamus &
 concludimus: *Scripturam Prophetica & Apostolica seu V. & N. T. ne-
 cessariò à Deo ad id datam esse oportere, ut sit Ecclesiæ Norma seu Regula u-
 nica, perfecta & perspicua in omnibus tam ad fidem, quàm ad vitæ mores
 pertinentibus. Hinc in Disp. VII. p. 46. dicimus: Ad quemlibet Christianû
 pertinere sollicitudinè salutis suæ & scrutiniû veritatis divina, & quidè
 NB, unice (nam superius demonstravimus, unicam, perfectam & perspicuam
 normam fidei nostræ, esse non nisi S. Scripturam, id quod h. l. repetendum
 & supponendum est) ex infallibili S. Scripturæ fundamento. Quæ ergò il-
 la à Catechesi per modum oppositionis à nobis separari potest? Sic
 ibid. p. 64. dicimus: In religione Christianâ ex solâ S. Scripturâ hauriendi
 sunt Articuli fundamentales, quos Catechetica doctrina exhibet. Etp. 68.
 Deus vult, ut Christiani, qui hætenus veritatem ex S. Scripturâ rectè
 edocti**

edocti fuerunt, in eâ persistent, & ad nullos errores, beneficio saltem Cate-
chismi sui, se induci patiantur, Ioh. 10. v. 5. 1. Ioh. 2. v. 27. Matth. 7. v. 15.
Et. Quæ verba itidem Valerianus allegat. Idem bis dicit p. 5. Mini-
sterium & Catechismum deducere Articulos fidei ex magnis sacris Bibliis.
 Sic ipsi Papistæ Ecclesiæ suæ fidem ultimò in Decreta Conciliorum à
 Pontifice Rom. approbatorum resolvunt: Num propterea illa solùm
 pertinere dicunt ad Pastores & Docentes? Compendia verò Conci-
 liorum de illis tantùm, quæ omnibus absolutè scitu necessaria esse putant,
 scripta solùm ad Laicos, qui legere nòrunt? Compendia verò Conci-
 liorum à Pastoribus vocetenus explicata solùm ad illos Laicos, qui le-
 gere nesciunt? Talem certè sententiam sibi obtrudi non patientur. Quis
 ergò quæso nos quoad hanc nostram sententiam Docentes & Discen-
 tes ita dispersece possumus, ut hos à S. Scripturâ planè sejungamus,
 dum eis, saltem Catechismum adscribimus? Consentanea enim non
 possunt in Dissentanea converti, nec Apposita in Opposita. Hæc no-
 stra sententia de S. Scripturâ, ceu normâ unicâ & universali omnium
 Christianorum, quâ Catechismum S. Scripturæ minimè opponimus,
 sed illum cum hæc jungimus, & ex illâ indivulsè derivamus, per to-
 tum nostrum AntiValerianum pertractata, & in ipsâ præfatione plenè
 explicata & vindicata, quin & in Actis Rheinfelsanis p. 17. 38. 44. 45. 58.
 toties explanata fuit, ut Valerianus illam dilucidissimè traditam facile vi-
 dere & perspicere potuisset, si veritatis studiosior, quàm priorum af-
 fectuum esse voluisset, quibus mihi peregrinam planè opinionem affin-
 gere, ei placuit.

Hæc ergò nostra est constantissima sententia, ut eam denuò ex-
 superabundanti, toti mundo explicatam exhibeam. 1. Sacra Scriptura
 est unicum & ultimum fundamentum, in quod omnium Christiano-
 rum seu totius Ecclesiæ fides resolvi debet. Probatum & explicatum
 hoc fuit per duas integras Disputationes, quartam & quintam. Quid
 Valerianus? Nihil respondet. 2. Totâ illa Ecclesia varii ordinis & sta-
 tus homines in se complectitur, v. g. Docentes & Discentes. Discenti-
 um qui-

um quidam sunt Magistratus, quidam Seniores, quidam plebs commu-
nis. Ex hisce iterum quidam sunt fortes in fide, potentes, perfecti, viva-
citate intellectus præditi, quidam verò sunt imbecilles, impotentes, im-
perfecti, simplices in fide. Quidam sunt ædificatores, quidam cæmen-
torum administratores, quidam defensores. Quæ omnia ex S. Scri-
pturâ demonstrantur, Disp. 7. p. 50. Et horum omnium non est uni-
forme scrutinium & cognitio veritatis ex S. Scripturâ, sed dispar pro ra-
tione graduum & donorum diversorum. Quæ itidem ib. ex S. Scri-
pturâ dilucidata fuerunt. Quid Valerianus? Nihil respondet. 3. Mi-
nisterium autem Ecclesiasticum ex Dei beneplacito constitutum & or-
dinatum est, ut, loquendo de communi Dei ordine, illud veritatem
salvificam toti Ecclesiæ ex S. Scripturâ unice, perspicue & solide pro-
ponat, atque ita tota Ecclesia omnesq; status in illâ, fidem suam unice ex
S. Scripturâ, ceu unico fundamento canonico & normali, per infor-
mationem & explicationem ministerii ceu causæ organicæ seu instru-
mentalibus, in suam salutem hauriant. Fuerunt & hæc ex S. Scripturâ pro-
bata & elucidata, Disp. 7. p. 52. seqq. Quid verò hîc Valerianus? Nihil
respondet. 4. Nec hoc Ministerium verbi divini, ceu causa organica
voce & scriptis, S. Scripturam fideliter & nervosè proponens & expli-
cans, eo ipso est idem ac parva Biblia pro iis, qui legere nesciunt, ut Va-
lerianus imperitè colligit, idq; eò minùs rectè detorquet. Nam Mini-
sterium, tanquam causa instrumentalis, tractans S. Scripturâ tanquam
Normâ & Regulam unicam ex mandato divino, non fit propterea ipsa
S. Scriptura, aut Biblia, nedum parva. Sicut Præceptor, proponens
Organon Aristotelis suis discipulis, & Philosophiam eos ex illo docens,
non fit illud Aristotelicum Organon. Perpetuum enim manet discrimen
inter causam instrumentalem, & inter Regulam, secundum quam
docetur & agi jubetur. Nec Ministerium Ecclesiasticum ex præscri-
pto divino tantum iis, qui legere nesciunt, explicatione S. Scripturæ in-
servire tenetur, verum omnibus & singulis Christianis, atque sic etiam
illis, qui legere nōrunt, & qui etiam iudicio acriori & vivacitate intelle-
ctus

Atus pollut, quiq; exercitatos sensus per habitum habent Nimiū impu-
 dens ergo est nostræ sententiæ detorsio, ac si explicationem S. Scripturæ à
 Ministerio Ecclesiæ perendam tantum ad eos, qui lectionis signari sunt, re-
 stringamus, cum illam sonore & explicitè ad omnes omnino Ecclesiæ inco-
 las etiam ad Magistratū, Seniores & peritiores extendamus, illisq; accomo-
 demus. Multa autem benevolus lector ex hâc detorsione colligere potest,
 quantæ scilicet siue imperitiæ siue malevolentia sit Valerianus, qui ta-
 men missionarii Apostolici titulum præ se ferre vult. 5. Nec Catechis-
 mus seu Catechetica doctrina, *objectivè* cōsiderata, est alia à S. Scripturâ
 seu magnis Bibliis, ut Valerianus loqui gaudet. Siquidem ita est ipsa S.
 Scriptura Prophetica & Apostolica, seu est *verus nucleus & cor totius Sacre
 Scripturae*, verbi gratiâ, Decalogus, Symbolum Apostolicum, Oratio Do-
 minica, Baptismus & S. Eucharistia. Omnia enim hæc sunt ipsæ & qui-
 dem potiores S. Scripturæ partes, in quarum cognitione salus omnium
 hominum consistit. Est autem hic Catechismus non quocunq;, sed so-
 lum sensu, S. Scripturæ conveniente intelligendus, istèque sensus & ex-
 plicatio Catechismi orthodoxa & nervosa, tam ex illis ipsis, quàm ex aliis
 S. Scripturæ partibus & textibus sacris per informationem Ministerii Ec-
 clesiastici, loquendo de communi Dei ordine, est depromenda & hauri-
 enda, non tantum rudioribus & simplicioribus sed etiam prudentiori-
 bus & intellectu vivacioribus Christianis, quin imò ipsismet Doctoribus
 & Pastoribus, quibus sua salus curæ cordiq; est. Non ergo Catechismus
 præsertim ratione textuum & pericoparum sacrarum, quas ceu S. Scri-
 pturæ nucleum & compendium in se continet, est S. Scripturæ contra-
 distinguendus *sive ratione objecti*, ac si alia doceantur ibi & hîc. Cum Ca-
 techismus sit intimum S. Scripturæ cor, & omnem sensum & succum
 salvificum non nisi ex S. Scripturâ derivet, eamq; indivulsi semper &
 apud omnes supponat, *sive ratione subjecti*, ac si Catechetica doctrina
 tantum ad Discipulos pertineat, cum etiam Docentium sit eam probè
 addiscere, & in succum ac sanguinem suum convertere. Neque Catechi-
 smus solum dicitur, in quantum scriptus est. Siquidem illi etiam Laici
 eum callere, suamq; fidem & vitam ad illum instituere tenentur, qui scri-
 pturam

pturam legere nequeunt. Sicut etiam omnibus & singulis, etiam junioribus apud nos serio inculcatur & explicatur. Multis modis proinde ridiculum se hoc loco Valerianus præbet, dum scribit, *parva Biblia, juxta meam mentem, dare Catechismum, si illa scripta sint.* Catechetica enim Doctrina, in compendium contracta, non variatur, sive vivâ voce, sive scriptione proponatur. Accidentia exteriora cum mutantur, non propterea mutatur rei ipsius essentia. 6. Distinguitur autem S. Scriptura Prophetica & Apostolica, prout in suo justæ molis volumine extat & consideratur, à Catechismo, quem parva Biblia nominare solemus, tantum ratione quantitatis, compendii, memoria ac praxeos facilioris, ac communioris. Quoniã enim humana mens memoriaq; nimis angusta est, ut non possit semper omnia, quæ ei ex complexu ingenti S. Scripturæ per integras multasq; conciones proponuntur, vivaciter & fructuosè retinere: Hinc omnia scitu necessaria in Epitomen Catechismi redacta sunt, quo homo illa ed facilius memorare, memoriq; mente conservare, atq; in suam salutem expeditius è penuario illo Catechetico depromere possit: Idq; ita, ut jam antea edoctus fuerit & firmiter supponat, omnia illa cum S. Scripturâ concordare, imò nervum totius S. Scripturæ compendiosè in se continere. Quemadmodum Moses ad memoriam Judæorum juvandam, tres libros, Exodum, Leviticum & Numeros, in unum librum, Deuteronomium scilicet denuò contraxit: Imò Judæi, vi legis, quæ extat Deut. 6. v. 7. 8. seq. substantialia totius legis Mosaicæ, in memoriale aliquod adhuc strictius redigere solent, quod frontibus, digitis & liminibus suis admovent, quò memoria eorum per illud semper refricetur. Et ad hoc memoriale Catecheticum non tantum Discipuli, sed etiam Docentes, utpote qui etiam non semper totius systematis Biblici, præsertim in angustiis & necessitatibus recordantur, recurrere, examen sui ad illud instituerent, seq; illi quoad fidem & vitam, nervosè & compendiosè accommodare solent. Suppositâ tamen semper convenientiâ ejus exactâ cum volumine Biblico & divino. Atq; ex hisce nunc patescit, quomodo dixerimus, Christianos fundare suam fidem non in infallibilitate Papæ & conciliorum, sed in infallibilitate S. Scripturæ, aut saltem Catechismi sui tanquam parvorum

Biblio-

Bibliorum. Scilicet in infallibilitate S. Scripturæ, sicubi, modò ex illâ solidè & perspicuè demonstrata & explicata, recenti adhuc memoriâ tenent, aut ea jam dum eis ex illâ explanatur: In infallibilitate verò Catechismi, ubi compendiosè agere & memoriæ suæ succurrere volunt, aut ubi eos oblivio prolixius auditorum & lectorum capit. Ita ut usus Bibliorum & magnorum & parvorum, simul locum habere possit & apud Docentes & Discipulos, & simul uno eodemq; tempore. Pudendum ergò in modum errat Valerianus, dum nobis affingit, ac si solam S. Scripturam, non verò Catechismum Docentibus, & solum Catechismum, non verò S. Scripturam Discipulis vendicemus. Cùm sonore utrisq; utraque & magna & parva Biblia, in utrumque usum assignemus. Ita tamen, ut sive Discipulos, sive Docentes Catechismo suo utantur, supponant utriq; illum continere in se ipsum Dei verbum, quin & cum S. Scripturâ exactè convenire, si non semper fidei actu explicito, tamen implicito. Quis enim Spiritus S. operationes omnes in corde hominum adeò accuratè delineare potest? Joh. 3. v. 8. 1. Cor. 12. v. 11. 7. Hanc autem veritatem cælestem ex S. Scripturâ per Ministerii Ecclesiastici fidelem informationem, dum Auditores investigant & scrutantur, eamq; sive examine accuratiori prævio sive simplicitate fidei recipiunt. Certissimi de invictâ veritate evadunt tam ex solidâ illius & perspicuâ demonstratione errorumq; ex Sacrà Scripturâ, nervosâ ostensione, quàm ex efficaciâ suavissimâ veræ & divinæ Doctrinæ, quâ ita convincuntur, ut de immotâ ejus veritate nequaquam dubitent. Quæ uberiùs explicata & demonstrata extant in Disp. 7. Anti-valeriani pag. 54. 55. 60. 61. 73. 80. Disp. 8. pag. 87. 88. 105. Et in Epist. Dedicat. §. Tertium. Et in Act. Rhein. pag. 58. &c. Quid verò Valerianus ad isthæc, quæ inibi legerat. Nihil responderet.

Et quod rei summa est, demonstraveram ego in illis meis scriptis dilucidè, Ministerium Ecclesiasticum juxta Sacram Scripturam debere & posse purè & orthodoxè constitui. Quo facto, omnes Auditores per illius fidelem informationem, ex Sacrà Scripturâ unicè desumptam, posse in veritate salvificâ ædificari, ab omnibus erroribus præmuniri, & in illâ, immotâ cum *αληγοφoεία* & certitudine corroborari. Hoc veritatis stabili-



mentum ille negare nequit, neque ullo firmo argumento refellere valet. Cùm tamen in hoc, velut cardine unico, tota nostra disputatio versetur. Sic multis in locis Papistis objeceram, quòd salvis ipsorum hypothesebus, Laici apud illos de veritate infallibili securi esse nequeant. Nam media, per quæ ad infallibilitatem illam pertingere debent, verbi gratiâ *argumensæ*, quòd Christiana religio sit vera, *documenta*, quòd Ecclesia ipsorum sit orthodoxa, *Miracula*, quòd Doctrina ipsorum sit sincera, *testimonia historica*, quòd Papa & concilia, quorum decreta obtruduntur, sint vera & legitima, imò quòd unquam extiterint, dicunt esse solùm *probabilia, sua sorta, quibus falsum subesse possit*: Imò & Pastores ac Episcopos particulares, per quos de Decretis populus docetur, *errare posse, & actu quandoq; errare*, dicunt. Hæc ego illis iterum atque iterum proposueram, & monueram, ut Valerianus ostenderet, quomodo stantibus hisce eorum hypothesebus Auditores in Papatu de infallibilitate certi esse, & sibi ab erroribus cavere queant: Vide in Act. Rheinf. pag. 17. 45. 58. In Antivalerian. Epist. Dedic. §. Docent. Disp. 7. pag. 54. 55. 69. 70. 71. Disp. 1. pag. 18. 19. seq. Quid ille? Viderat, legerat talia, & tamen tacet.

In actione suâ 9. pag. 3. & 4. *Catechismum*, cui addit *vocale ministerium verbi*, ceu *parva Biblia* comparat cum *ridiculo mure*, eoque fabulam illam accomodat, unde Proverbium illud enatum sit: *Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus*. Et Sylogismum meum, quo probavi, Sacram Scripturam esse *Ecclesie Normam seu Regulam unicam, perspicuam & perfectam in omnibus tam fidem, quam ad vitam mores pertinentibus*, vocat grandiloquum. Verùm exinde quivis cordatus mecum colliget, Valerianum agere potiùs ridiculum fabulatorem, quàm solidum. Disputatorem, in ejusmodi enim Disputationibus, res non fabulis, verùm dilucidâ veritatis demonstratione atque argumentis fortissimis est agenda. Ideoq; iste disputandi modus seriâ reprehensione in Valeriano dignus est. Graviorem autem adhuc censuram promeritus est, dum *Catechismum* comparat cum *ridiculo mure*, quem ego tandem enixus sim. Valeriane, ubi est tua pietas, ubi tua gravitas, quæ senem decet? Tunc junioribus *Catechismum* addiscendum, ita commendabis, ceu *ridiculum murem*? Ego verò constanter assero:

fero: Quisquis Catechetica doctrinam ita extenuat & ridiculum murem appellat, ille est *blasphemus in Deum & in sacrosanctum ejus verbum*. Nam Catechismus complectitur ipsum Dei verbum, & verum nucleum totius S. Scripturæ, quæ sæpe etiam nominatim allegatur. Ut patet cuilibet Christiano. Commendatur & instillatur, ab ipsâ S. Scripturâ, Act. 2. v. 38. seq. Heb. 6. v. 1. 2. c. 5. v. 12. seq. 1. Cor. 3. v. 1. 2. Commendant Catechismum ipsi Papistici Doctores, Bellarminus l. 4. de V. D. cap. 11. §. Primum seq. Cornel. à Lap. in Heb. 6. p. 880. seq. Lorinus in Act. 2. v. 38. & 40. in c. 8. v. 35. ubi ait, *Catechismum rem esse, quam consilium Tridentinum post Lateranense ultimum summopere commendandam duxit, &c.* P. Canisius in Catechismi sui part. I. pagina 14. allegat verba Augustini, dum ait, *Symbolum Apostolicum esse normam & Regulam fidei, ac breve predicationis Apostolicæ indicium. Symbolum breve est verbis, sed magnum est Sacramentis: Quicquid enim præfiguratum est in Patriarchis, quicquid denunciatum in scripturis, quicquid prædictum est in Prophetis, vel de Deo ingenito, vel ex Deo in Deum nato, vel de Spiritu Sancto, vel de suscipiendo omni sacramento, vel de morte Domini, resurrectionisq; ejus mysterio, totum breviter Symbolum continet, & continendo habet & confitendo.* Sic Patres antiqui Catechismum commendant, dum Ecclesiis suis, *Enchiridia, libros πειρὰ ἀρχῶν, hypotyposis, elementares Isagogas, Synopses, &c.* præscripserunt. Hóne Valerianus dicet ridiculos mures exclusisse? Ipse verò Valerianus est, qui prægrandes refutationes meorum scriptorum toti Europæ pollicetur, re ipsâ autem nihil præstat, ut vix ridiculum murem enitatur. Allegat meum Syllogismum pro Sacrà Scripturâ, ceu Regulâ unicâ, perfectâ & perspicuâ, vocat illum grandiloquum. Sed ne aggredi quidem aut refellere eum tentat.

Postquam sententiam meam de *Catechismo & Ministerio Ecclesiastico* pudendum in modum corruperat, à quâ corruptione superius illam vindicavimus: Tandem duo argumenta profert, quibus ceu ariete illam conatur pessumdare, & probare, quòd Catechismus & Ministerium verbi non possint esse id, unde quilibet & qualibet sibi ab erroribus docentium cavere queat. 1. *Quia non continent doctrinam fidei, in quam consentiant Christiani dissidentes in Fide.* Sed non multo magnòve constabit la-

bore hunc Valerianarietem retundere velle. Nam 1. Quæstio ipsa non est rectè proposita. Siquidem quod principale est, in quæstione omittitur, nimirum S. Scriptura. Cum enim Ministerium non nisi Sacram Scripturam Auditoribus proponere debeat, & Catechismus non nisi nucleus esse debeat & Epitome nervosa S. Scripturæ, quò sibi inde ab erroribus cavere possint: Omnino quæstionis cardo in eo potissimum vertitur: *An beneficio & auxilio fidei Ministerii Ecclesiastici, per Sacram Scripturam, ceu unicam fidei & vitæ Regulam, & Catechismum Sacra Scriptura conformem, & nucleum illius compendiosum, omnes Auditores ab erroribus præservari queant?* Id quod nos in omnibus nostris scriptis, contra Valerianum editis, constanter affirmamus. Valerianus potissimum quæstionis momentum intermittit, & nihilominus putat, se multa contra nos obtinere posse. Apparet autem inde, qualis Disputator sit ille meus Antagonista, qui in ipso statim quæstionis limine adeò turpiter hallucinatur. R. 2. Si major illa: *Quicquid continet doctrinam, in quam Christiani dissidentes in fide non consentiunt, illud non est id, unde quilibet & qualibet sibi ab erroribus cavere potest, locum habere deberet, tum hoc ipso ipse Papatus totus pessum iret & jugularetur.* Infallibilitas enim Romanæ Ecclesiæ & Pontificis Romani, quam hodie jactant, non tantùm est ipsa talis doctrina, sed etiam ejusmodi doctrinam Papalem porro in se continet, cui contradicitur à Christianis Græcarum, Africanarum, Orientalium, & magnâ ex parte etiam Europæarum Ecclesiarum. Vide ipsum Bellarminum de hoc testantem & querulantem, in præfatione in l. de P. Romano. Et tamen hoc dissidio ac contradiciõne non obstante, pergunt Papistæ contendere, quòd infallibilitas Papæ & decretorum Romanorum sit id, unde Christiani sibi ab erroribus cavere possint & debeant. Sic hodie multi solent Concilium Tridentinum, ceu infallibile medium crepare, quod recipiendo Christiani ab omni errore tuti esse queant. Et nihilominus ipsi Galli & Parisienses in illud, ceu generale concilium nequaquam consentiunt. Legerat hoc Valerianus in Anti-valeriano disp. 5. pag. 255. Disp. 8. pag. 93. seq. Et tamen nihil respondet. Docent hodie multi in Papatu, penes Papam residere unicè & immediatè infallibilitatem & supremam potestatem, unde ad
Chri-

Christianos securitatem & immunitatem ab errore derivare volunt. At illam non in Papâ, verum in Concilio generali residere è contrario statuunt alii, & Pontificem, etiam ut Pontificem errare posse, & aliquando actu errasse, dicunt. Vide ipsum Bellarm. l. 2. de Concil. cap. 11. §. 1. seqq. c. 14. per totum l. 4. de R. P. c. 2. §. Secunda Viderat Valerianus hæc in Antiv. Disp. 8. p. 99. & nihil respondet. Et quid tandem fiet in Christo, Prophetis & Apostolis. In ipsorum certè Doctrinâ Judæi aliiq; consentire volebant, verum rejiciebant, Joh. 3. v. 11. Marth. 23. v. 36. Jerem. 18. v. 12. 2. Paral. 36. v. 14. seqq. & c. Num propterea Prophetæ inter Judæos, & Christus ac Apostoli apud eosdè aliosq; desiverunt esse id, unde ab erroribus præservari poterant & debebant? Absit. R. 3. Concluditur proinde ex hisce omnibus, majorem Valeriani esse omni modo ruinosam & cadaverosam, quâ profectò nostra sententia ex S. Scripturâ fortissimè corroborata, adarietari nequit, ut eò luculentius nunc eniteat, quòd scilicet Sacra Scriptura sit id, unde auxilio Ministerii orthodoxè & solidè ex illâ unicè sive concionibus sive Catecheticâ explicatione docentis, ab erroribus præmuniri possunt, & in quod *consentire debent*. Repugnantia autem & illa negatio actualis hujus consensus, non tollit ipsam *medii, S. Scripturæ scilicet sufficientiam* aut *modi rectitudinem* in se, per illud medium omnes errores effugiendi.

Alterum argumentum contra superiorem illam nostram sententiam Valerianus inde desumit: *Quia vocale Ministerium verbi & Catechismus sint humana deductiones Articulorum fidei ex magnis sacris Bibliis multipliciter factæ 1. Per vocabula equipollentia, sed clariora vel per similitudines notiores, 2. Per consequentiam necessariam vel probabilem, 3. Per collationem acri textus cum aliis textibus sacris, 4. Per analogiam & connexionem dogmatum fidei nostræ, 5. Per recursum ad textus Hebraicos & Græcos. Quæ explicationes sint humani ingenii operationes, non textus sacri aut puræ voces Spiritus S. Siquidem ex hisce de illis censeri debere.* Hæc ille pag. 5. & 6 in Actione suâ nonâ R. 1. Non omnia, quæ à Ministerio orthodoxo ex S. Scripturâ proferuntur, quæq; etiam in Catechismo proponuntur, per consequentiam aut deductionē, qualem Valerianus hoc loco indigitat, è S. Scripturâ eruuntur. Sed

Sed quàm plurima, imò omnia, quæ Laicis scitu sunt necessaria ad salutem, quoad literam seu *ἀπολεξεί* in S. Scripturâ præsertim in sedibus eorum propriis extant, atq; ita ex illâ Ministerio Ecclesiastico traduntur. Hinc Augustinus T. 3. l. 2. de Doctr. Christ. c. 6. in oppositione ad figuratam orationem & similitudines in Sacrà Scripturâ obvias, postea ait: *Magnificè & salubriter Spiritus S. ita scripturas modificavit, ut locis APERTIORIBVS fami occurreret, obscurioribus autem fastidia detergeret. Nihil enim ferè de obscuritatibus illis eruitur, quod non PLANISSIME dictum alibi reperiat. Idem ib. c. 9. In iis, quæ APERTE in Scripturâ posita sunt, inveniuntur illa OMNIA, quæ continent fidem moresq; vivendi, spem scilicet atque charitatem. Tum verò factâ familiaritate cum ipsâ linguâ divinarum Scripturarum in ea, quæ obscura sunt aperienda & discutienda pergendum est, ut ad obscuriores locutiones illustrandas de manifestioribus sumantur exempla, & quedam certarum sententiarum testimonia dubitationem de incertis auferant. T. 7. l. 1. de peccat. merit. c. 6. contra Pelagianos scribit, apertissimum esse Scripturæ sensum, Rom. 8. vers. 10. quòd mors hominis à peccato ejus proficiscatur. Et cap. 4. Puto, quòd non expositore sed tantùm Lectore opus habet tam clara & aperta sententia, &c. Ambros. Epist. 7. in it. de scriptis Pauli ait, in plerisq; ita se ipse suis exponit sermonibus, ut is, qui tractat, nihil inveniat, quod adjiciat suum, ac si velit aliquid dicere, Grammatici magis, quàm Disputatoris fungatur munere. Bellarminus l. 4. de V. D. c. 11. §. His, illud Irenæi dictum l. 3. c. 1. Evangelium Apostoli tunc præconiaverunt, postea verò per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt, fundamentum & columnam fidei nostræ futurum, explicat de illis omnibus, quòd sint scripta ab Apostolis, quæ sint omnibus necessaria, & quæ ipsi palam omnibus vulgò prædicaverant. At verò in confesso est, Apostolos illa omnibus prædicasse apertè & planissimè, 2. Cor. 4. v. 3. 4. Imò ipse Valerianus fatetur ultrò, innumera esse, quæ sunt clarissima ex sacro textu, in præfat. de Reg. Acathol. n. 4. Quoad illa omnia ergò, & innumera clarissima, quæ omnibus sunt necessaria, hoc Valeriani argumentum minimè procedit, utpote quæ Laicis à Ministerio etiam in Catechismo, sine ullâ à se factâ tali consequentiâ aut deductione humanâ, seu humani ingenii operatione, juxta ipsorum Papistarum hypothe-*

pothesin, proponi, atq; ita illi ex S. Scripturâ de veritate cœlesti immotè certi fieri possunt & debent.

R. 2. Quod verò illa eadem attinet, in quantum alicubi ex S. Scripturâ, sive per clariora dicta aut analogiam fidei, sive per consequentiam, sive per recursum ad linguas, Hebraicam & Græcam, à Ministerio explanantur & Ecclesiæ proponuntur: Illorum explanatio ritè ex S. Scripturâ facta, non est deductio humana aut humani ingenii operatio, aut commentum, ut Valerianus loquitur. Quamvis enim homo sit, & intellectus humanus, qui ita deducit, & os hominis, qui ita profert, non tamen opus humanum est appellandum. Siquidem si hæc ratio sufficeret, ut operatio aliqua hominis sit *humana*, tum ipsi Prophetæ & Apostoli, quando verbum Domini protulerunt, opus humani ingenii peregissent. Et quando Minister Ecclesiæ baptizat, humana operatio perficeretur. Imò ipsi Episcopi & Papa in Concilio dicendi essent, opus humanum perficere, quando Decreta sua conficiunt & Ecclesiæ obtrudunt. Quæ omnia ceu absurda ipsi Pontifici abominabuntur. Et tamen Valerianus ex eadem planè ratione, nos ejusmodi absurdi convincere h. l. laborat. Etsi ergò *subjectum* aut causa instrumentalis talia perficiens, sit homo, ejus tamen operatio non est humana seu ingenii humani. Idq; 1. Quia objectum, quod ita pertractat, deducit & explanat, non est humanum, sed *verbum divinum*, quod est *θεόπνευστον* seu à Deo inspiratum & revelatum, 1. Pet. 4. v. 11. 1. Thess. 2. v. 13. Rom. 10. v. 15. 17. &c. 2. Quia verbum illud divinum ita deducit & proponit, non ex cerebri sui viribus humanis, aut ex disputandi arte humanâ & philosophicâ; Absit! Vide Col. 2. v. 8. 2. Cor. 10. v. 4. 5. 1. Cor. 2. v. 4. 5. c. 3. v. 19. &c. Sed ex *nervo & visceribus* textus sacri ab ipso Deo in S. Scripturâ clarè & sonore monstratis, qui ipse vult, ut καὶ ἀναλογίαν S. Scriptura explicetur, Rom. 12. v. 6. Ut consequentia & connexio facta, non sit ἰδίως ἐπιλύσεως, sed ex S. Scripturæ monstratione hauriatur, 2. Pet. 1. v. 20. Marc. 4. vers. 34. Et quæcunq; consequentia in Theologicis tam quoad decisionem, quàm quoad discretionem, seu tam quoad medium terminum, quàm quoad conjunctionem & applicationem illius cum extremis, ut loquantur, non nititur nervo & fundamento ipsius S. Scripturæ, illa ceu peregrina meritò est rejicienda. Et ut Antecedentia & Consequentia, Scopum, Phrasium vim, & ipsos fontes linguarum, in quibus S. Scriptura originaliter, exarata est, probè conferramus,

G

mus,

mus, consulamus, & ductum illum sequamur, ad modum ipsorum Prophetarum, Christi & Apostolorum, ceu Interpretum divinatorum, Joh. 5. v. 39. Matt. 5. v. 18. Luc. 21. v. 33. Act. 2. v. 29. 30. seqq. De quibus explanationis regulis, vide nostrum Antivalerianum, Disp. 5. p. 231. seq. Cùm ergò nervus & ratio explanationis & deductionis illius sit non nisi divina seu in divinâ Scripturâ monstrata; Omnino explanatio & consequentia ipsa non est humana, verùm non nisi divina, in divinis literis perspicuè ostensa & ex iisdem desumpta. 3. Quia explanationem & deductionem illam Minister Ecclesiæ instituit & peragit, non autoritate privatâ & humanâ, verùm publicâ & nomine ipsius Dei, 2. Cor. 5. v. 18. 19. 20. 1. Cor. 4. v. 1. &c. Ex quibus omnibus jam ad oculos patet, explanationem & deductionem sive concionando sive catechizando, per Ministerium Ecclesiasticum S. Scripturæ conformiter factam, nequaquam esse ingenii humani operationem, sed opus Ecclesiasticum, pertractans & ritè inculcans ipsum Dei verbum, Consilium, mentem & sensum ipsius Spiritus Sancti, Luc. 7. v. 30. Act. 20. v. 27. non ex viribus humani cerebri, sed ex nervo & ratione, ab ipsâ S. Scripturâ, clarè exhibitâ, non nomine hominum, sed ipsius Dei celsissimi, Pontificii, quando Decreta Pontificum suorum consulunt, & ex illis veram sententiam elicere sibi præsumunt, num propterea opus humanum Valeriano peragere videbuntur? Negabunt hoc illi ipsi. Quod autem Pontificiis est Decretorum Papalium infallibilitas falsa, id nobis est S. Scripturæ infallibilitas & perspicuitas verissima. Respondeat autem pro nobis ipse Bellarminus, qui l. 2. de Concil. c. 12. §. Sic, ita scribit: *Cùm Concilium Nicænum definiuit, Christum esse homouision Patri, deduxit conclusionem EX SCRIPTURIS, in quibus disertè continetur unum esse Deum, & Patrem esse Deum, & Filium esse Deum: Ex quibus sequitur necessariò, Patrem & Filium ejusdem esse substantiæ & divinitatis. Et similiter Concilium sextum, cùm definiuit, in Christo esse duas voluntates divinam & humanam, deduxit conclusionem EX SCRIPTURA, in quâ habetur, Christum esse perfectum Deum, & perfectum hominem.* Athanasius in Disp. contra Arrium coram Probo, ita: *Scito Arri, contra insolentes & furtivas hæreticæ intelligentiæ pravitates quedam Confessionis nomina non temerè præsumta, sed ex consequenti ratione collecta, fidei autoritatibus fuisse inserta, ita tot novorum verborum religioso intellectu extiterunt absolutiones, quot fuerunt quasita vel subministrata perfidiæ occasiones, licet totidem syllabi & literis vocabula seu nomina non legantur in*
sacris

sacris literis. Si ergò ex S. Scripturâ istæ deductiones factæ fuerunt, profectò non possunt esse humanæ deductiones aut humani ingenii operationes, prout Valerianus h. l. objicit.

De. 3. Quamvis autem porrò textus sacer sit pura Spiritus Sancti vox, & explicatio textus sacri alia sit ab ipso textu sacro, illamq; liceat examinare, hunc verò non; Idq; propterea, quòd textus sacer verbum Dei *immediate*, ex infallibili sc. Spiritus Sancti instinctu in se contineat, imò sit ipsum Dei verbum tam quoad objectum, quàm quoad modum revelationis seu scriptionis, 2. Tim. 3. v. 16. Explicatio verò textuum sacrorum, tam eorum, qui apertissimi sunt, quàm illorum, qui per consequentiam firmissimam, & in ipsâ S. Scripturâ monstratam, sensum Spiritus Sancti nobis pariunt, *mediate* in se verbum Dei contineat, illudq; pertractet, in quantum sc. illa textibus sacris eorumq; nervis & rationibus clarè monstratis unice inhæret, atq; hinc meritò examini subjecta esse debeat: Nihilominus illa explicatio & deductio Ecclesiastici Ministerii, quando S. Scripturæ dicto modo quoad omnia conformis est, ex S. Scripturâ Auditoribus, *verbum Dei salvificum, mentem, sensum & Consilium Spiritus Sancti* de eorum æternâ salute proponit, *textum sacrum seu S. Scripturam*, ejusq; genuinam sententiam in se includit, quam explicationem proinde illi attendere, per illam ceu Ministerii Ecclesiastici fidelem informationem ita, *in S. Scriptura* cognitionem salutarem & certam pervenire, suamq; fidem per illam, *in illam ipsam S. Scripturam* unice & ultimò resolvere possunt & debent, quod adhuc dum est, quod nos in Antivaleriano nostro eâ de re diximus. Negamus ergò simpliciter, explanationem Articulorum fidei, sive in concionibus publicis, sive in Catechismo à Ministerio Ecclesiastico prolatam, & S. Scripturæ conformem, esse ingenii humani operationem seu humanam deductionem ex humanis placitis desumptam, verùm talem, ipsum verbum Dei, ipsum textum sacrum & S. Scripturam, Ejus mentem & sensum divinum proponere, & non nisi ex ipsis S. Scripturæ seu textuum Sacrorum nervis & visceribus erutam esse. Quam nostram constantem assertionem si Valerianus labefactare vult, necesse est, ut nobiscum ad discussionem Articulorum fidei, prout in nostris Ecclesiis ex sacris textibus explanari solent, specialem descendat; Quam tamen ille, sat scio, ceu cane & angue pejorem fugiet, ac proinde hæc suâ obediunculâ minus nihilo efficiet.

CONFUTATIO ACTIONIS VALERIANI
DECIMÆ.

IN Actione suâ 10. Valerianus infallibilem Autoritatem & Jurisdictionem Pontificis Romani it confirmatum, illudque, quod Rheinfelzæ eum non præstitisse conscientia propria ei dicitur & exprobat, nunc vult præstare. Videbimus, quomodo maculam velit eluere. Initiò autem multis recenset, quid hæc de re in prægressis actionibus actum fuerit. Operam suam rectius impendisset nostris Argumentis, si potuisset, statim refellendis. Sed id ei moris est perpetuò, ut peregrinis & è longinquo petitis declamationibus tempus & chartam perdere malit. Tandem p. 3. scribit, se *triumphum nostrum evertisse*, quem de ipso ultrò dicente, quòd infallibilitas Papæ nec ex jure divino, nec Ecclesiastico probari queat, Rheinfelzæ egimus, in Actis Rheinf. p. 29. seqq. 41. 42. &c. *evertisse*, inquam in Actione sua quinta per illud, quòd asseruerit, *argumenta aliqua Theologica, esse tam evidentiâ, ut obligent non solum in foro conscientia, sed & apud judicem Ecclesiasticum*. Et ex eo, nos porrò vult confundere, quòd ipsimet non nisi per consequentias Theologicas contra Papistas agamus, & tamen illis nos nolle concedere, ut Theologicè argumententur aut ex S. textu, aut ex decreto Ecclesiastico. Sed illa omnia, quibus se triumphum nostrum evertisse gloriatur, nos è vestigio in Actione nostra statim subsequente confutaveramus, ut ostenderimus, non tantum consequentiam illam ab ipsismet Pontificiis rejici, sed etiam juxta Papistarum & Jesuitarum sententiam, omne argumentum Theologicum tam diu nullam conclusionem, certò sequendam parere, donec Decretum Ecclesiasticum, quod hac in parte sibi deesse, Valerianus toties falsus fuit, accedat, vide Acta Rheinfelz. p. 29. 30. 31. lit. E. p. 41. 42. 43. Allegaveramus loca ex Bellarmino, ubi talia à Papistis ipsismet asserantur, imò ab ipso Valeriano p. 19. §. 2. pag. 36. §. Porrò, ubi ait: *Theologum carere omni potestate coercitivâ, directivâ a. habere sine omni jurisdictione*. Item si quis explicet textum allegatum, aut inde infert aliquam Conclusionem, *autoritas privata persona non obligat Ecclesiam ad sic credendum*. Ad quæ omnia Valerianus neque tunc Rheinfelzæ, neque nunc in nova hac sua Actione decimane verbo quidem respondet, & tamen gloriari pergit, se *triumphum nostrum evertisse*. Quæ quàm perversa sit disputandi, & gloriandi ratio, cuilibet sano oppidò apparet. Cum ergò illam nostram confutationem ille ne labefactare quidem conetur, idèd illa non tantum manet solida & inconcussa, sed etiam triumphus noster in suo perstat vigore immotus. Porrò, non meras consequentias theologicas ex S. Scriptura contra Papistas urgemus, sed & multoties dicta aperta, Papisticæ doctrinæ prorsus contraria, ut ex scriptis nostris polemicis, quæ Papatui hæctenus opposita fuerunt, in propatulo est. Quòd si v. etiam consequentiis Theologicis ex S. Scriptura

contra

contra illos agimus, tum illas non nisi ex S. Scriptura ejusq; nervis & visceribus perspicuis & solidis nectimus, quo pacto non probabiles, sed firmissimæ & divinæ, atq; sic Catholico & immoto argumento æquiparandæ consequentiæ sunt, etiam ante decretum Ecclesiasticum & Conciliorum: Pontificii v. consequentias suas, quas vocant argumentum Theologicum, ante Ecclesiæ decretum & confirmationem habent (et si non *pro nullo*, id quod nec nos unquam de Papistis diximus, ut Valerianus nobis h. l. affingit, attamen) non nisi pro non necessariò sequendis, & nequaquam pro argumento certo & Catholico necessariò sequend, ovideatur Bell. l. 3. de V. D. c. 10. §. Ad 16. & l. 1. de Concil. c. 16. §. Ad Conf. l. 2. de Concil. c. 12. §. 4. Summa est, Argumenta Theologica, ante confirmationem, non parere *sententiam necessariò sequendam, sed solum, quatenus ratio suadet. Conciliorum v. sententiam esse necessariò sequendam. Disputationes non esse de Fide, quæ Decretis præmittuntur, neq; rationes, quæ adduntur, neq; ea quæ ad illustrandum & explicandum adferuntur, sed tantum ipsa nuda decreta.* Et communis est Papistarum sententia, ante decisionem Ecclesiæ liberum esse cuilibet statueri aliquid in materia controversâ. Conf. Bell. l. 1. de V. D. c. 10. §. R. B. August. §. Altera. Et p. 1. Antif. p. 108. 488. &c. Quæ ergo quæso ante illam *Conscientia alicujus obligari potest, ad alterutram sententiam necessariò capessendam?* Unde disparitas relucet inter nostras & Papistarum consequentias seu argumenta Theologica, longè maxima, ac proinde nos, licet & ipsi argumentis Theologicis utamur, nihilominus rectissimè reprehendisse Valerianum, quòd Catholico argumento abjecto, nobiscum non nisi argumento Theologico, i. e. meris conjecturis juxta Papistas, ante decisionem Ecclesiasticam, agere voluerit.

Effatum illud, quo ultrò concesserat, *infallibilitatem Papæ per Argumentum Catholicum non posse probari ex textu factò, nec ex Decreto Ecclesiastico, se n. nullum tale scire, quod ei infallibilitatem autoritatis expressè tribuat, sed hanc probare præsumserat, non nisi per argumentum Theologicum, ex nonnullis assertis Concilii Florentini desumptum, Act. Rheinf. p. 29. 30. 35.* Effatum, inquam illud sine dubio reliquis Papistis nimis absurdum visum est, ac proinde Valerianus illud emollire & mitigare studuerat in Glossis postea inter speris per illud, quod illam quidem *immediate non possit ita probare, at bene mediatè seu per consequentiam ex S. textu, Act. Rheinf. p. 29. 35. 41. 42.* Nos verò in Actis nostris dictis in locis ei & hoc effugium solidè occlusimus, probantes, quod vi assertionis ejus neque *mediatè aut consequenter ex S. textu stabiliri queat.* 1. Quia simpliciter Valerianus negat, *Catholico argumento illam Papæ infallibilem autoritatem ex S. textu aut ex Decreto Ecclesiastico, probari posse.* At qui rem simpliciter & omnino negat, omnia negat, atq; sic etiam *mediantem consequentiam.* 2. Quia si *consequenter & mediatè ex S. textu juxta mentem ejus probari posset, tum id fieri deberet per argumentum aut Catholicum, aut Theologicum.* Non illud, quia omnis consequentia tamdiu non parit argumentum Catholicum, donec illa per decretum Ecclesiasticum confirmata & stabilita est. Jam verò ipse Valerianus fateatur, *se nullum scire decretum Ecclesiasticum, quod Papæ infallibilitatem expressè*

præse tribuat. E. Catholico argumento per consequentiam facto & ab Ecclesia ap-
 probato nullus planè locus esse potest. Non hoc, quia omne argumentum Theolo-
 gicum juxta Papistas est incertum; At incerta h.l. non valent. Deinde, quia ne hu-
 jusmodi quidem argumento Valerianus ex s. textu Rheinfelx Papæ infallibilitatem
 probare ausus fuit. Adjeceramus etiam, *nos non meminisse, ullum eruditum Papistam*
unquam hac methodo cum nostratibus de infallibilitate Papæ disputasse. Et hac nova Ca-
puccinorum asserta, ita vana sunt. Hæc nos dd. ll. Quid ad hæc Valerianus? Vidit
 ille, legit & citat etiam ex parte, talia, sed addit: *Oportet ergo, mi Haberkorni, omnia*
affirmare: Affirmamus porro simpliciter, posse ex sacro textu & ex decretis Ecclesiasticis
demonstrari infallibilitatem & jurisdictionem Rom. Pontificis: Distinctionem v. argu-
menti in Catholicum & Theologicum abrogamus, damnamus, execramur & anathema-
tizamus, non tanquam falsam, sed tanquam lapidem offensionis & petram scandali ru-
dioribus, levioribus aut malè affectis. Ite & triumphate, si potestis, Act. 10. p. 3. & 4.
 Tanta est vis veritatis, ut Valerianus nunc illa superatus publicè Herbipoli affirmet,
 quod antea Rheinfelx negaverat. Quòd si hæc ejus affirmatio est vera, tum pro-
 fectò prævia illius negatio fuit erronea & falsa. Duo enim contradictoria non pos-
 sunt esse simul vera. Quin & distinctionem inter argumentum Catholicum &
 Theologicum, quam antea *usurpaverat*, in Actione sua tertia, ut & quinta, disertis
 verbis, nunc in Actione sua decima, *abrogat, damnat, execratur & anathematizat.*
 Sat sanè rigoris, ad quem eum & pudor propriæ conscientiæ, & publica aliorum
 Papistarum reprehensio sine dubio adegit. Id quod benevolus Lector, quæso, probè
 observet, quòd Valerianus meis illis scriptis eò adactus est, ut nunc Herbipolensis
 cum magna ira affirmet, quod antea Rheinfelx strenuè negavit. In eo, verò, dum
 addit, se illam distinctionem *execrari, abrogare, damnare & anathematizare, non tan-*
quam falsam, sed tanquam lapidem offensionis & petram scandali rudioribus, levioribus
aut malè affectis, sibi ipsi contrarius est, & se magis impliciat. Nam si distinctio illa
 alioquin vera est, cur Valerianus ob abusum rudiorum, leviorum aut malè affecto-
 rum illam adeò indignabundè damnat, execratur, abrogat & anathematizat? Certè
 ob abusum adventitium, res ipsa in se bona, non est abroganda, damnanda, execran-
 da aut anathematizanda. Quis sanus *Christum* abrogaret, execraretur, damnaret, &
 anathematizaret, propter rudiores, leviores aut malè affectos, quòd illis factus est
lapis offensionis & Petra scandali, Esa. 8. v. 14. Luc. 2. v. 34. 1. Pet. 2. v. 6. Rom. 9. v. 33. ? Eat
 ergò Valerianus & vociferetur adhucdū: *Ite & triumphate si potestis.* Omnino. Affir-
 mare enim nunc vis, quæ antea negasti, idq; victus argumentis nostris. Annon hic
 est triumphus victoriæ? Aboles, damnas, execraris & anathematizas, quæ antea
 magno Zelo defendisti. Annon hic est victoriæ nostræ triumphus? Anathematizas
 ob abusum ceu Petram scandali, quod te iudice, nihilominus verum est. Nonne hoc
 nobis materiam triumphi suppeditat, quòd propudium unum evitare volens, in a-
 liud, idq; majus te conjicis?

Sed nunc quæstionem ipsam seriò vult aggredi, & probare tam Conciliorem
 quam

quàm tandem ipsius Papæ infallibilitatem. Multis autem & variis anfractibus utitur, usq; dum ad ultimam conclusionem venit. Dicit

1. Christi regnum seu Ecclesiam duraturam esse usq; ad finem mundi, Luc. 1. v. 32.
 2. Ergo oportere illam, animam immortalem habere, quæ eam eò usq; vivificet, scilicet lucem quandam indefectibilem, quæ hæreses fecerneret à veritate doctrinæ revelatæ.
 3. Hanc illius lucem autem esse Spiritum S. Joh. 14. v. 16. 17. c. 16. v. 12. 13. Act. 2. v. 2. idq; in Concilio generali, Act. 15. v. 28. Quà de causâ Ecclesiam dici columnam & firmamentum veritatis, 1. Tim. 3. v. 15. Et ei promitti stabilitatem, Matt. 16. v. 18.
 4. Ecclesiam proinde in Oecumenico Concilio collectam, qualis fuit Concilium Florentinum, ratione doctrinæ veræ proponendæ & declarandæ, regi à Sp. S. At quod ita regitur à Sp. S. illud non potest errare; Et sic neq; Concilium Florentinum.
 5. Hoc Concilium a. definit, Rom. Pontificem esse 1. Successorem Petri, Principis Apostolorum. 2. Habere primatum in universum orbem, 3. Esse vicarium Christi, 4. Caput totius Ecclesiæ, 5. Patrem omnium Christianorum, 6. Doctorem eorundem, 7. Habere potestatem plenam pascendi, regendi & gubernandi Ecclesiam universam. Ergo sequitur, assistentiam Sp. S. Ecclesiæ sic competere, ut in illam influat à Rom. Pontifice, ven à Successore Petri habente primatum, &c.
 6. At is qui influit in Ecclesiam universalem assistentiam Spiritus S. seu doctrinam ejus, necessario habet autoritatem infallibilem, in proponendâ & declarandâ universæ Ecclesiæ, ex Cathedrâ doctrinæ fidei Christianæ & jurisdictionem segregandi à ceteris fidelium eos omnes, qui contumaciter eam pernegant. Tantæ molis erat, Romanam condere Sellam.
 7. Tandem addit, se non ignorare ex meo Antivaleriano, quid sim ad hæc responsurus, scilicet 1. S. Scripturam esse unicam, perspicuam, perfectamq; vocem Sp. S. docentis omnem veritatem, quæ concernit fidem moresq; vivendi, 2. Hanc quemlibet & quamlibet audire & intelligere posse, 3. Quam si quis non attendat, errare à fide, tametsi sit Papa aut Concilium 4. Et hanc eos omnes negligere & seponere posse, 5. Nunquam tamen futurum, aut factum esse, omnes & singulos illam neglexisse, 6. Eos v. qui vocem hanc audiunt & intelligunt, constituere illam Ecclesiam, perpetuò duraturam. Proinde se velle à me extorquere sententiam magis explicatam argumento, de quo postea. Hæc Valerianus in Actione suâ 10. p. 4. 5. 6. & 7.
- At verò mi Valeriane, si tibi jam antea constitit, quid hisce tuis argumentis sim responsurus, quin & ipse illas responsiones partim adduxisti, cur tu non statim illas confutasti? Id enim requirebat & lex Disputationis & officium exquisiti Disputatoris, quod contra me suscepisti, ut sc. infirmæ responsa Adversarii tui, quæ tibi bene perspecta erant. Verum hic hæres denuo, & Lectori candido aliam sententiam hoc ipso haud ingeneras, quàm quòd respondere non possis. Scire enim quid Adversarius respondeat, & simul allegare, & tamen non confutare, est manifesto testimonio, quòd confutare non possis. Quamvis autem hæc unica responsio nostra sufficere posset, illis omnibus tuis argumentis retundendis, nihilominus in gratiam Lectoris,

& ut

& ut toti Christianitati soliditas doctrinæ nostræ eò melius constet, paucis illa perstringemus, cuilibet nervosam solutionem apposituri.

Ad primum. Omnino regnum ac Ecclesia Christi est ampla & duratura non tantum usq; ad finem mundi, sed etiam ultra eum in æternum, Psalm. 22. v. 31. Pl. 72. v. 5. 17. Psalm. 89. v. 30. Esa. 9. v. 7. Jerem. 33. v. 22. Dan. 7. v. 14. Mich. 4. v. 7. &c. Sed ita, ut, quod amplitudinem concernit, si una sola provincia retineret veram fidem, adhuc verè & propriè diceretur Ecclesia Catholica, dummodò clarè ostenderetur, eam esse unam & eandem, cum eâ, quæ fuit aliquo tempore vel diversis in toto mundo, loquente ipso Bellarmino, l. 4. de Eccl. c. 7. §. Tertio. Confer. p. 1. Antifabri nostri p. 507. 508. Et ut status Ecclesiæ hujus perpetuò duraturæ, dicatur esse quoad Ministeriũ exterius verbi & Sacramentorum nunc florentissimus & purissimus, Pl. 50. v. 1. Esa. 2. v. 2. c. 60. v. 1. seq. Mich. 4. v. 1. seq. Dan. 2. v. 44. Matt. 5. v. 14. Rom. 10. v. 16. c. 15. v. 19. Col. 1. v. 6. &c. Nunc verò etiam passim turbulentissimus & corruptissimus, propter persecutiones, scandala & dogmata venenata publica, v. g. tempore Judæorum, 2. Par. 15. v. 3. Ose. 3. v. 4. Amos. 8. v. 11. Dan. 12. v. 11. Tempore Antichristi, 2. Theff. 2. v. 3. 1. Tim. 4. v. 1. seq. 2. Tim. 4. v. 4. 2. Pet. 2. v. 2. Apoc. 12. v. 9. c. 13. v. 8. 16. c. 17. v. 2. c. 18. v. 3. c. 19. 20. Sub finem mundi, Matt. 24. v. 24. Luc. 18. v. 8. &c. Vide in p. 1. Antifabri p. 389. seqq. & p. 396. seqq. usq; ad finem illius quæstionis. Ita tamen, ut Deus etiam sub corrupto Ministerio, per residuum in eo è S. Scripturâ bonum, sibi Ecclesiam adhuc fidelem, veram, & quoad fidem & pietatem veram, invisibilem semper conserveat. Id quod multis dictis biblicis & exemplis asseritur, tempore Prophetarum, 2. Reg. 16. v. 11. 2. Paral. 36. v. 14. seq. Esa. 56. v. 10. c. 59. v. 4. Jerem. 26. v. 8. seq. c. 23. v. 11. c. 2. v. 8. c. 5. v. 4. 5. c. 34. v. 2. seq. Et nihilominus pii dicuntur superfuisse, 1. Reg. 19. v. 18. Rom. 11. v. 4. Jerem. 15. v. 19. Ez. 9. v. 4. &c. Tempore Christi, Matt. 23. v. 2. 3. seq. Et tamen pii superstites fuerunt, Luc. c. 1. v. 6. c. 2. v. 27. 36. 38. Joh. 1. v. 48. Tempore Antichristi Matt. 24. v. 24. Apoc. 13. v. 14. c. 14. v. 13. c. 7. v. 14. Dan. 11. v. 41. &c. Sæpe enim puriora sunt corda auditorum, quàm pastorum Ora. conf. Apoc. 2. v. 3. c. 11. v. 2. Vide d. l. p. 438. seqq. Et quoniam Valeriano ille Antifaber ignotus non est, idè eum eò remittimus, seriò adhortantes, ut, si potest, nobis ad omnia & singula solidè respondeat.

Ad secundum respondemus: Omnino Spiritum Sanctum huic Ecclesiæ Christi perpetuò animam vivificantem & lucem, quoad veritatis salvificæ monstrationem, indefectibilem præbere. Sed ita, ut essentia hujus Ecclesiæ, & quatenus perpetuò à Sp. S. vivificatur, propriè & exquisitè non in exteriori societate, verum in interiori invisibili & spiritali communionem ac conjunctionem cum Christo consistat. Est enim illa juxta illam essentiam suam 1. Corpus & plenitudo Christi, Eph. 1. v. 22. 23. 2. Domus vivi Dei, 1. Tim. 3. v. 15. 3. Sponsa Christi, Esa. 61. v. 10. Joh. 3. v. 29. 4. Regnum cælorum, Matt. 3. v. 2. 5. Ovile Christi, Joh. 10. v. 16. 6. Spiritualis Mater, Gal. 4. v. 26. 7. Una Ecclesia cum triumphante in cælis, Heb. 12. v. 22. 23. 8. Quæ proinde creditur, Eph. 4. v. 4. 16. Col. 2. v. 19. 1. Cor. 12. v. 13. Joh. 1. v. 16. At horum omnium ratio formalis, non est nisi invisibilis & spiritalis, ut in præpatulo est, & facile ex S. Scripturâ probar.

probari potest. Atq; hinc Christus semper in orbe invisibilem fidelium cœtum seu spirituale Semen est habiturus, quos Spiritus S. ita vivificat & conservat; Quoad exteriorem verò Ministerii Ecclesiastici splendorem, Ecclesia aliquando magnam eclipsin pati potest per errores & nœvos inductos. *Perpetuitas* ergò animæ illius Ecclesiam salutariter vivificantis, pertinet ad cœtum illum spiritualem & mundo incognitum, non v. est alligata ad sedem Romanam, certum locum & societatem ac congregationem exteriorem, prout Pontificii sibi suaviter imaginantur, & hoc ipso crassum Elenchum committunt. Quæ omnia probata & evicta vide iterum in part. I. AntiFabri p. 374. 375. seqq.

Ad tertium: Quoad exterius verò Ministerium, Spiritus S. Ecclesie vult veritatem monstrare, eiq; assistere, sed non nisi *ordinate, restrictè, limitatè & mediatè*, si sc. S. Scripturæ, ceu unicæ Sp. S. perspicuæ & perfectæ voci, & normæ medioq; , veritatem salvificam ex illo & juxta illud cognoscendi, sedulo attendit; Sin v. S. Scripturam deserit, cum ipsum Ministeriũ Spiritus Sanctus ex justo & vindicativo suo judicio deserit, inq; errores prolabi sinit. Sed ita ut semper Christus quoad illam interiorem & invisibilem societatem, spirituale suum Semen etiam corrupto exteriori Ecclesie statu & ministerio, retineat & conserveat. Vide Joh. 8. v. 31. c. 15. v. 14. c. 17. v. 17. Esa. 59. v. 21. I. Tim. 6. v. 3. Heb. 3. v. 6. 14. Apoc. 3. v. 8. 20. Rom. 11. v. 19. seqq. Probavimus nos illud itidem ex sacrâ scripturâ & in Antivaleriano Disp. 4. & 5. ut & in p. I. AntiFabri p. 247. seqq. Valerianus illa probè vidit & novit, & tamen nihil respondet. Quin & dicta biblica à Valeriano allegata eundem in sensum ex ipsismet eorum visceribus asseruimus, & ostendimus, Pontificios ad eò nihil præsidii in illis habere posse, ut eis potius sint contraria. Dictum Joh. 14. v. 16. 17. ut & c. 16. v. 12. vindicatum reperies, p. I. AntiFab. p. 424. seqq. Locum ex Act. 15. v. 28. part. I. AntiFab. p. 279. seq. 1057. seq. 1365. seq. Dictum Pauli I. Tim. 3. v. 15. d. l. p. 426. seqq. Christi v. dictum Matt. 16. v. 18. ibidem p. 388. 389. 397. 398. 422. 689. seqq. Ad quæ ut nobis respondeat, Valerianum adhortamur.

Ad quartum. Omnino vult regere Spiritus S. Ecclesiam quoad exterius Ministerium, in proponendâ & explicandâ veritate doctrinæ salvificæ, at non per *absolutam* infallibilem assistentiam, quam Pontificii perpetuò crepare solent, verum *serio ordine & medio*, observatâ scilicet S. Scripturâ, ceu unicâ, perspicuâ & perfectâ Normâ tam Fidei, quàm morum vitæ Christianæ. Atque ita etiam Concilium Florentinum voluit, *cetero illo ordine & medio* S. Scripturæ unice attentæ, Spiritus S. regere. Unde ex ordinata illa Sp. S. rectione & assistentia, non potest *absoluta* immunitas ab errore omni, seu impossibilitas planè non errandi, ullo modo sequi. Spreto enim illo medio & non observato, Ecclesia in errorem proruit: Observato verò illo, ab errore à Sp. S. præervatur. Id quod exinde patet luculentius, quòd Sp. S. velit regere quamvis particularem Ecclesiam: Quemvis particularem Episcopum & Presbyterum: Quodvis particulare Concilium: Papam, ut Doctorem: Quemlibet fidelem Christianum; Et tamen experienciâ constat, imò & ipsi Pontificii fatentur, hos omnes errare posse, & actu sæpe errare, non obstante illa Spiritus Sancti in-

H

tentione

rentione scilicet, eos regendi & in veritate inducendi. Propterea scilicet, quod ab ordinario & hypothetico Sp. S. regimine ad absolutam immunitatem ab errore, nulla plane valeat consequentia. Hinc in AntiValeriano disp. 8. p. 108. seq. probavimus, quod etiam œcumenica Concilia errare possint. Quæ Valerianus refutare nec audeat, nec etiam potest.

Ad quintam. Concilium Florentinum, ejusmodi Epitheta Pontifici Romano tribuens, verè definitivè, dici non potest aut debet, nisi in quantum cum S. Scriptura consentit. At illam consentire, Valerianus nec probat, nec probare potest. Quin potius nos contrarium jam dudum demonstravimus, quod scilicet *Pontifex Rom. non habeat primatum in universum orbem, nec vicarius Christi, aut caput universæ Ecclesiæ sit, nec potestatem plenam gubernandi eam habeat*; Idq; aperte contrariari evicimus 1. S. Scripturæ. 2. Antiquioribus Patribus, imò & Conciliis, etiam œcumenicis, in parte 1. AntiFabri nostri p. 574. seqq. p. 644. seqq. p. 729. seqq. p. 761. seqq. Concludimus proinde invictè, Concilium Florentinum utpote recentius, & tam S. Scripturæ, quàm orthodoxæ Antiquitati contrarium, hæc in parte gravissimè errasse, & Valerianum unà cum illo, dum nobis illud pro principio infallibili venditat. Adhæc juxta Papistarum hypothesein *concilia interdum aliquid definiunt, non ut certum, sed ut probabile. Quando autem decretum proponatur: anquam de fide, facile cognoscitur ex verbis concilii. Semper enim dicere solent, se explicare fidem Catholicam, vel hæreticos habendos, qui contrarium sentiunt, vel, quod est communissimum, dicunt anathema & ab Ecclesiâ excludunt eos, qui contrarium sentiunt. Quando autem nihil horum dicunt, non est certum, rem esse de fide.* Bell. l. 2. de Concil. c. 12. §. Quartum. At neutrum illorum requisitorum in hac definitione Concilii Florentini reperitur, ut apud Caranzam ipsum extat p. 455. Hinc ipse Bell. l. 2. de Concil. c. 13. §. 2. dicit de Concilio Florentino, quod non ita expressè definitivè, Concilium esse supra Pontificem, idè usq; ad hanc diem questionem superesse etiam inter Catholicos. Et c. 17. §. Ad hunc, ait de Concilio Later. quod rem istam non definitivè propriè de decretum fide Catholicâ tenendum, dubium esse, & idè non sunt propriè hæretici, qui contrarium sentiunt, &c. Ergò Judice ipso Bellarmino, non est certum, an illa Epitheta sint de fide, & omnibus necessariò credenda. Probatio ergò illa Valeriani lubrica est, juxta ipsos Pontificios, & tamen non veretur Papæ sui, cujus Missionarium agit, infallibilem auctoritatem illa ipsa probatione nobis obtundere. Unde fundamento hoc sabruto, etiam patet luculentissimè, quod ædificium ipsum, quod Valerianus ei superstruere conatur, ex arena sine calce sit extractum & planè nullum, ac si scilicet *assistentiæ Sp. S. à Pontifice Rom. ceu capite & vicario Christi, in universam Ecclesiam influat.* Quid quod multi inter ipsos Pontificios, imò & ipsum Concilium Constantiense & Basiliense sunt, qui negant aperte infallibilitatem à Papa Rom. in totam Ecclesiam influere, quin imò ipsum Papam Rom. etiam ut Papam è cathedrâ, errare posse, & actuali quando errasse, expressè statuunt. Prout ipse Bellarminus horum præsertim antiquiorum Papistarum & Conciliorum nomina sententiamq; illam disertis verbis

bis allegat & explicat, vide illum l. 4. de Rom. Pont. c. 2. §. Secunda. l. 2. de concil. c. 11. §. 1. c. 13. §. 2. c. 14. §. 1. 3. 4. seq. Ubi ait, juxta horum sententiam, Papam esse caput & Pastorem singulorum Christianorum & singularum Ecclesiarum, si seorsim sumantur, non autem NB totius Ecclesie congregatae in Concilio generali, ac comparare Papam cum Concilio, esse comparare partem cum suo toto, & minus cum majore. Ecclesiam illam non posse errare, Papam autem posse, &c. Hæc toties Valeriano Rheinfelsæ objecimus, & tamen nihil respondet, verum eadem semper chorda oberrare eidem placet. En tibi Valeriane, verba Concilii Basiliensis, T. 3. Concil. in Epist. Synodali p. 148. Sæpe experti sumus & legimus, Papam, licet caput & principalem partem, errasse. Adde verba Lyræ tui in Matth. 16. v. 18. Ecclesia non consistit in hominibus ratione potestatis vel dignitatis Ecclesiastica vel secularis, quia multi principes & summi Pontifices inventi sunt apostatasse à fide, &c. Vide plura hanc in rem in p. 1. AntiFabri nostri p. 694. & p. 881. 882. 883. seqq. Qui ergò, quæto, mi Valeriane, tu infallibilem assistentiam à Papa derivabis in Ecclesiam? A fallibili? Ab eo, qui sæpius inventus est apostatasse à fide & errasse?

Ad sextum. Unde deniq; conjicere potes, quàm falsa sit thesis tua, qua statulisti, Pontificem Rom. infallibilem habere autoritatem & jurisdictionem, & quàm falsis & nullis, imò ab ipsis tuis Papistis, apertè negatis principiis illa nitatur. Quòd si autem studium veritatis aliquale, mi Valeriane, & toti Christianitati & mihi probare cupis, quæto, refutare saltem audeas illa, quibus ego solidè evici, Papam Rom. etiam cum Concilio esse fallibilem, & sæpius errasse, & adhuc dum errare; Contraria verò ficulnea argumenta Papistarum enervavi & prostravi, p. 1. AntiFabri pag. 866. seqq. In hoc refutando demonstra tuam, si quam habes, disputandi eruditio- nem. Verum fat scio, me surdo fabulam narrare.

Considerabimus nunc, quæ nostræ sententiæ orthodoxæ, de novo opponit; nam argumenta, quibus illam stabilivimus, ne attingere quidem conatur. 1. Dicit, ex nostra sententia sequi hoc absurdum, quòd Spiritus S. post constitutum Canonem sacrorum librorum, defunctus sit munere docendi in Ecclesiâ, nunc verò oriri à docendo. 2. Quemadmodum si quis competitoribus pluribus vellet aliquot præfecturas ali- cujus provincie pauciores iisdem competitoribus distribuere, & tot baculos in unum fa- scem collectos inter eos projiceret, dicens: Qui potest capere, capiat. Quibus illi postea se egregiè tunderent. Ita Spiritum S. omnia dogmata in unum volumen coniecisse, & ho- scelibros veluti defunctum munere docendi, in medio Ecclesie projecisse, dicendo: Scruta- mini Scripturas, qui potest capere, capiat. Atq; hinc homines scissos fuisse in sectas in- numerabiles. 3. Accidereq; id, quòd Hieron. ad Paulin. scribat, quemlibet velle tra- ctare S. Scripturam. 4. AntiValerianum non satis exprimere, quidnam & quomodo Spiritus S. ex meâ sententiâ adhuc doceat, quæ propterea existimare se, me Sp. Sancti assi- stentiam requirere, in consequentiâ nectendâ, utpote sine quâ impossibile sit attingere sententiam sacri textus in præcipuis. Præstolari tamen se meam super hæc assistentiâ Sp. S. sententiam, &c. Hæc ille in Actione sua 10. p. 7. 8 & 9.

Ad 1. Quando juxta mentem Pontificiorum Spiritus Sanctus in Conciliis per assistentiam infallibilem decreta edidit, & Episcopi ac Presbyteri particulares jam populum illa edocent, num Spiritus S. tum defunctus est munere suo docendi ita, ut nunc otietur? Hoc non dicent Papicolæ. Et tamen sequeretur, si ex nostra sententia illud, prout Valerianus ineptè colligit, sequeretur. Proinde dicimus, Spiritum S. quidem per Prophetas & Apostolos nobis in S. Scriptura suam mentem & voluntatem revelasse, nosq; omnem veritatem cœlestem perspicuè in illa docuisse: Ita tamen ut non desinat, adhuc dum Ecclesiæ suæ assistere, verum illam assistentiam, mediante S. Scriptura ceu verbo suo divino perpetuò continuat, usq; ad finem mundi. Atque sic est *assistencia mediata & organica seu ordinata*, non transiens, sed permanens, Job. 14. v. 16. Eaq; adhuc hodie est 1. *Assistentia manifestatrix, revelatrix & informatrix*, dum Spiritus S. per illam ipsam S. Scripturam nos veritatem divinam docet. Manet enim *verbum Dei in eternum*, Esa. 40. v. 8. 1. Pet. 1. v. 23. Est adhuc *virtus Dei*, Rom. 1. v. 16. *efficax & potens*, Heb. 4. v. 12. *Lux, nobis in viis nostris pralucens*, 2. Pet. 1. v. 19. Psalm. 119. v. 105. *Verbum Dei est adhuc instar ignis & mallei comminantis*, Jerem. 23. v. 29. *Lex adhuc iram operatur*, Rom. 4. v. 15. *occidit*, 2. Cor. 3. v. 6. *Et per illam est agnitio peccati*, Rom. 3. v. 20. *Virtus peccati damnatrix & accusatrix*, adhuc est *Lex*, 1. Cor. 15. v. 55. S. Scriptura adhuc dicitur, *loqui, dicere, providere, concludere*, Gal. 3. v. 8. 22. c. 4. v. 30. Rom. 10. v. 11. Marc. 15. v. 8. Imò & Esaias dicitur adhuc per sua scripta *clamare*, Rom. 9. v. 27. *Moses & Prophetae adhuc audiri & docere dicuntur*, Luc. 16. v. 29. At hæc omnia verbum Dei scriptum esse, loqui, dicere, operariq; nequit, sine Spiritu Sancto. Hinc adhuc dicitur, *dicere Ecclesiis in S. Scripturâ. Qui habet aures, audiat, quid Spiritus dicat Ecclesiis: Vincenti, dabo, &c.* Apoc. 2. v. 7. seqq. Adhuc *Spiritus S. judicat mundum*, Joh. 16. v. 8. scilicet per verbum suum scriptum & revelatum, Joh. 7. v. 51. c. 12. v. 48. Rom. 2. v. 12. 16. Sic August. T. 7. l. de Nupt. & Concup. c. 33. ait, *Christum per illud suum verbum, Matth. 26. v. 28. adhuc judicare seu judicem agere, quod ipse etiam pro parvulis mortuus sit, &c.* Et adhuc S. *Littera nos possunt officii seu informare in salutem aternam*, 2. Tim. 3. v. 15. Non sine Spiritu S. assistente, Eph. 1. v. 13. 14. Sic Ministerium est adhuc Ministerium Spiritus Sancti, 2. Cor. 3. v. 8. 1. Joh. 5. v. 6. At illud docere debet non nisi ex S. Scripturâ, Esa. 8. v. 20. 2. Tim. 3. v. 15. 16. 17. 1. Tim. 4. v. 13. Act. 26. v. 22. 1. Cor. 15. v. 1. 2. seqq. Rom. 1. v. 2. c. 16. v. 25. 26. 2. Pet. 1. v. 19. Id quod etiam ex eo patet, quod Spiritus S. Ecclesiam suam adhuc dicitur consolari, beatificare, illuminare, per verbum suum scriptum, ut statim audiemus. At talia non fiunt sine præviâ manifestatione & informatione exteriori. 2. Est *assistencia Spiritus S. adhuc hodie, per S. Scripturam, adjuvrix & directrix*, dum nos adjuvat & dirigit, ut S. Scripturæ attendentes, per illam ipsam ejusq; lucem fulgentem mysteria divina inibi inveniamus & perspiciamus, Psalm. 119. v. 18. Psalm. 51. v. 8. Psalm. 143. v. 10. Sap. 9. v. 17. seq. &c. 3. Est *assistencia Sp. S. adhuc hodie illuminatrix & salvatrix*, dum per verbum suum scriptum, lectum aut auditum adhuc homines salutariter convertit, fidem in eis accendit, consolatur & ad salutem

æternam

eternam promovet, Apoc. 1. v. 3. Psalm. 1. v. 2. Psalm. 19. v. 8. Esa. 8. v. 20. 2. Tim. 3. v. 15. 16. 17. Rom. 15. v. 4. Joh. 20. v. 31. c. 5. v. 39. &c. Profecto quisquis dixerit, Spiritum S. ita defunctum esse munere docendi, ut nunc otietur aut suam illam assistentiam sustulerit, ille suam supinam in S. Scripturâ ruditatem prodit, & parum abest à Spiritus blasphemiz. Non est Deus, talis artifex, qui suum opus deserat, verum illi continuo assistit, & efficaciter operatur. Vide Joh. 5. v. 17. Phil. 1. v. 6.

Ad 2. Unde patet nunc cuilibet, non minus ineptè quàm blasphemè à Valeriano simile illud adduci, eumq; de verbo Dei sacrosancto, in S. literis nobis relicto parum reverenter sentire. Nam 1. non plures sunt homines, quibus Sp. S. nec velit nec possit *ὑποστῆναι* salutarem per verbum S. Scripturæ offerre & applicare. 2. Sp. S. suam assistentiam, quantisper homines ipsi protervè & præfractè non resistunt, nunquam subducit. 3. Nec sine adjutorio Ministerii Ecclesiastici eos esse finit, per quod eos docet. 4. Scandala & hæreses, quæ inde malitiâ hominum sequuntur, ille aded non approbat, ut seriò prohibeat, & gravissimè puniat, Matth. 10. v. 34. c. 18. v. 7. Rom. 2. v. 8. 2. Thess. 1. v. 8. 1. Cor. 11. v. 19. 5. Verba illa præceptiva, *scrutamini scripturas*, sunt ipsius Christi & Spiritus S. Joh. 5. v. 39. 1. Tim. 4. v. 13. 2. Tim. 3. v. 15. 16. 17. &c. Unde profecto à Valeriano in jocum & scommata trahi non debent. Occinimus ergo ei meritò illud, Gal. 6. v. 7. 2. Macc. 4. v. 17. 1. Sam. 15. v. 23. Quos textus ille probè perpendat, & seriò resipiscat. 6. Verba illa, *qui potest capere, capiat*, in S. Scripturâ pertinent ad dona particularia, Matth. 19. v. 11. 12. At S. Scriptura est data, in omnium hominum etiam Laicorum informationem & salutem, Rom. 15. v. 4. Joh. 5. v. 39. Esa. 8. v. 20. &c.

Ad 3. Hieronymus in Epist. ad Paulinum Tom. 4. p. 7. expressè loquitur de illis, qui volunt esse *ἀνομιδακτοι*, sine informatione Ministerii Ecclesiastici, in S. Scripturâ. Inde inibi aperte ait: *Sine previo & monstrante in Sacris Scripturis non potes ingredi semitam. Et nullos literatos & artifices sine Doctore posse esse, quod cupiunt. Atq; hinc immediatè invehitur in ἀνομιδακτοι illos, dicens: Sola scripturarum ars est, quam sibi omnes passim vindicant. Scribimus indocti doctiq; poemata passim. Hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc sophista verbosus, hanc universi præsumunt, lacerant, DOCENT, ANTEQUAM DISCANT. Alii adducto supercilio NB grandia verba trutinantes, inter mulieres de sacris literis philosophantur. Alii discunt (proh pudor) à feminis, quod viros NB doceant: Et ne parum hoc sit, quadam facilitate verborum imò NB audacia edisserunt aliis, quod ipsi NON INTELLIGUNT, &c. At quid hoc ad nos, qui istum abusum & temeritatem aded non approbamus, ut Laicos potius apud nos ab eodem ad verum usum revocemus, quò scilicet veritatem salvificam ex S. literis addiscant, in humilitate & dependenter à Ministerio Ecclesiastico, loquendo de communi divinitus sancito ordine, nedum ut eis potestatem publicè docendi concedamus. Sicut totus meus AntiValerianus illâ sententiâ personat, nec Valerianus mihi ex eo unicum paragraphum ostendere poterit, in quo simile aliquid illis verbis Hieronymi ego statuerim. Sicut & idem jam dudum in p. 1. Anti-*


Fabri mei ostendi, p. 245. Et tamen Valerianus non erubescit, nobis illum abusum, quem ipsimet taxamus, impudenter imputare. Aliàs quòd Eunuchus ceu Laicus S. literas in vehiculo legit, egregiè commendat ibidem Hieronymus. Urget idem multis in locis & magno studio Chrysostronus, ut scilicet S. literas *artifices, piscatores, agricola aliq, Laici omnes* diligenter legant & evolvant. Sicut ipsius verba adduximus in p. 1. AntiFabr. p. 198. Et in nostro AntiValeriano disp. 5. p. 222. seq. Et S. Scripturam esse unicam, perspicuam & perfectam normam & vocem Spiritus S. omnes omnino controversias decidentem, ex illis ipsius Hieronymi (aliorumque Patrum) aliquot egregiis testimoniis nos in AntiValeriano, v. g. Disp. 4. p. 172. 193. Disp. 5. p. 244. 253. &c, communiveramus. Valerianus viderat illa, ac nihil responderet, verum juvat ipsum tædium Disputationis hujus mitigare alienis & facetiis, tonso-ribus & circulatoribus, non accuratis Disputatoribus nedum Theologis, in re tam arduâ, consuevis.


Et ad 4. At aperte ego in AntiValeriano aliquot in locis expressi meam sententiam de modo illo, quo Spiritus S. mediante S. Scripturâ Ecclesiæ suæ adhuc hodie assistat, hancq; per illam in veritatem ducere velit, tam per aperta testimonia, quàm per consequentias firmissimas, ab ipso Sp. S. inibi monstratas, & nequaquam ex cerebro humano prognatas, non obstante illâ dissensionum turbâ, quibus nonnulli à S. Scripturâ discedunt. Confirmaviq; illam iisdem dictis biblicis, superius adductis. Vide Disp. 5. p. 225. seqq. 231. seq. 234. seqq. 251. seqq. Disp. 4. p. 149. 150. Valerianus ista, ipso teste, legerat, & tamen nihil responderet, verum mavult plana confundere & intricare, quò interea à scopo delabatur, Lectori facum aliquem faciat, & suæ desidiæ aut potius impotentia, quâ veritatis fulgorem obscurare nequit, colorem inducat, ac morbida suæ causæ perizomata ficulnea prætexat. Verum eruditi & cordati Christiani sibi non ita aciem oculorum præstringi patientur, quò minus perpetuas Valeriani evagationes & tergiversationes luculentè animadvertant.


SOLI DEO GLORIA!


OS (* * *) OS


























151887



154887


ULB Halle 3
002 639 602



56.

AB 154887





Chry
Ernestus
Lagou
Mant



APPENDIX
Actorum Rheinfelfanorum,
ut & Antivaleriani,


ID EST

CONFUTATIO
OFFUCIARUM ILLARUM, QUAS
Valerianus Magnus, paucissimis qui-
busdam illorum Scriptorum asertio-
nibus, in Actionibus noviter emis-
sis, ineptè admodum oppo-
nere voluit,

ADORNATA

à

PETRO HABERKORNIO, S. THEOL. D.
Professore, Pastore & Superintendente
Gissensi.



G I E S S Æ

Excudebat JOSEPHUS DIETERICUS HAMPELIUS,
Acad. Typog. Ann. Christi 1652.

